

S A C R A  
C O N G R E G A T I O N E  
P A R T I C V L A R I  
A' S A N C T I S S I M O  
D O M I N O N O S T R O

D e p u t a t a

I N C A V S A

T I R A S O N E N .

*Beatificationis, & Canonizationis*

V E N . A N C I L L Æ D E I  
S O R O R I S

M A R I Æ A I E S V  
D E A G R E D A

P r o v l t i m a D e c i s i o n e o p u s c u l o r u m  
p r æ d i c t æ S e r u æ D e i .

---

S Y N O P S I S

O B S E R V A T I O N V M , E T R E S P O N S I O N V M

T à m i n c o m m u n i , q u à m i n p a r t i c u l a r i s u p L i b r i s V e n .  
A b b a t i s s æ M a r i æ à I e s u d e A g r e d a s u b t i t u l o M y s t i c æ Ci -  
u i t a t i s D e i , p e r q u a t u o r C l a s s e s d i s t r i b u t a r u m , s u b q u i b u s  
t o t u m o p u s e x h i b i t u m , a t q u e r e s c u n d æ i n e o a g i t a t æ p r o ,  
& c o n t r à , l o c o I n d i c i s s u m m a t i m d e f e r u n t u r .



R O M Æ , M D C C X X X V I I .  
T y p i s R e v e r e n d æ C a m e r æ A p o s t o l i c æ .


---

*S u p e r i o r u m p e r m i s s u .*

SACRA  
CONGREGATIONE  
PARTICULARI  
A. SANGUISIMO  
DOMINO NOSTRO  
Debutis  
IN CAVAS  
TRASONEN  
Benedictum, & Canonisationis  
AEN VNICILLE DEI  
SOGORIS  
MARIÆ AIESA  
DE AGREDA  
BIO ALIUS DECIMUS DECIMOTRIM  
Benedictus Series Dei.

---

SYNOPSIS  
OBSERVATIONUM ET RESPONSIONUM  
Tunc in communione, deinceps in purissimam libet. Tunc tunc  
Venerabilis Maria a Iesu de Arzobis lupi filii Mabiree Gi-  
nilius Di, et dominus Calixtus dypudens, lapidipus  
totum opus expeditum, aliis tres cum suis consiliis Dic  
Q. coruus, loco Iugis Luminaria regalium.



ROMÆ, MDCCXXXVII.

Tibis Reuelande Cameræ Abrogatis

Suppositionem puram.

TIRASONEN.  
*Beatificationis, & Canonizationis*  
VEN. ANCILLÆ DEI  
SORORIS  
MARIÆ A IESV  
DE AGREDA  
SYNOPSIS  
OBSERVATIONVM, ET RESPONSIONVM

Tam in communi, quam in particulari super  
Libris Ven. Abbatissæ Mariæ à Iesu de Agreda  
sub titulo *Mysticæ Ciuitatis Dei*, per qua-  
tuor Classes distributarum, sub quibus  
totum Opus exhibitum, atque res  
cunctæ in eo agitatæ prò,  
& contrà, loco Indicis  
summatim defe-  
runtur.

MOTIVVM SYNOPSIS.



OST fusam Responsonem ad Censuram, quam  
sub Venerando S. Officij titulo nobis comiu-  
nicatam Typis excussam exhibuimus anno 1730.  
examinandam, atque in Congressu particulari  
examinatam in Ædibus Eminentissimi Cardina-  
lis Pico prò Voto, siue Iudicio ferendo super  
eadem Responsonem, aliam non minus fusam  
compulsi dedimus ad nouas difficultates, quas  
solvendas superesse in præfato Congressu dictum fuit, nulla,  
quam sciamus, capta resolutione super sufficientia, vel insuffi-

<sup>2</sup>  
cientia præfatae prioris responsonis, dum in eum finem de man-  
dato Sanctissimi fuerit exhibita. Inde itaque videtur nihil Sa-  
pientissimis Iudicibus dicendum occurrisse contra eam responsio-  
nem, sed sufficientem potius eis visam fuisse: aliter enim ratio-  
nes insufficientes Postulatori prout de iure, de menteque San-  
ctissimi in satisfactionem communicasset.

## S T A T V S C A V S Æ

*Sub lit. A. à pag. I. ad 8.*

**A**D hoc autem, nonnulla, quæ præmitti necesse putamus, bre-  
uiter ante obijcimus. Primo quidem dispositionem Sanctissi-  
mi Domini Nostri CLEMENTIS Papæ XII., qua sibi compla-  
cuit tūm præsens negotium ad se aduocare, obstaculum quodcum-  
que remouere, atque in pristinum statum restituere. Tūm quod  
siquæ dubia, siue difficultates relevantes, dignæ censura enu-  
cleandæ occurrent, ea tam voce, quam scripto Postulatoribus,  
quibus onus incumbit Causam præsentem promouendi, commu-  
nicarentur, prout dudum fan. mem. Alexandrum VIII., & In-  
nocentium XII. ordinasse apparet ex *Summ. prioris Responsonis*  
*Num. 6.*, & *7.*

Juxta hanc adeò Iustitiae, & æquitatis legibus consonam dispositio-  
nem, eas, quæ Iudicibus deputatis à Sanctitate Sua occurre-  
runt, difficultates nobis in scriptis dignati sunt communicare,  
ea tamen conditione à Sanctitate Sua præscripta, ut nouis alijs  
difficultatibus excitandis locus præcluderetur, nè hoc prætextu  
negotium præsens adeò exagitatum, ac discussum diutiùs pro-  
traheretur, exindeque Causa Beatificationis, & Canonizationis  
Ven. Librorum Authoris dudum ab anno videlicet 1679. vigore  
Processus Apostolici, prævio Ordinario examinato, & approbato  
ad aperitionem usque eius in Sacra Rituum Congregatione intro-  
ductæ retardaretur,

Quatuor dunitaxat Censuræ sub titulo Observatiōnum, siue Refle-  
xionum à quatuor ex nouem Iudicibus deputatis in Scriptis sunt  
communicatae, ex quo inferri videtur nihil pariter reliquis quin-  
que obseruandum occurrisse, ac proinde præsens negotium eu-  
cuatum penitus pro majori parte Votorum mansisse, nonque  
propterea opus esse difficultatibus denuò excitatis satisfacere.  
Nihilominus omnibus, & singulis nouis, ea qua par est religiosa  
modestia, stilo necnon plano, & sincero responsonem sincera  
ingenuitate elaboratam exhibuimus; eamque saltim probabilem,  
atque sufficientem existimamus: nec enim ad eluendas diffi-  
cultates contra Scripta Seruorum Dei per reuelationem præcipue  
exarata efficax politiuia probatio conuincens exigitur, sed sufficit  
demonstratio, quam vocant negatiuam, hoc est nequaquam  
euinci errorem ullum contra fidem, vel contra bonos mores,  
vel contra Doctrinam communiter in Ecclesia receptam, vel à  
SS. Patribus vniuersaliter traditam, in illis ritè intellectis con-  
tineri ad eum modum (seruata propositione) quoad diluenda  
argu-

3

argumenta, quæ Eterodoxi contra Dogmata Catholica, siue contra Doctrinam ex Sacris Concilijs, vel à SS. Patribus in materia Fidei, Religionis loquentibus obijciunt, alia non exigitur solutio, nec à Sacris Doctoribus, & Theologis Catholicis nisi quam vocant negatiuam, siue quæ illis ostendere sufficiat, veritates, quas impugnant, haud conuinci de repugnancia, falsitate, siue inuerosimilitudine: Evidem difficile, si non impossibile foret hostes conuincere de Mysteriorum altissimorum veritate ver.gr. Sanctissimæ Trinitatis, Sacramentalis præsentiae Christi Domini, alijsque eiusmodi: Sufficit ergo sola pia prudens probabilis solutio obiectionum, vtì S. Thomas num.5. citatus probat, & exemplificat.

E' contrà verò, vt aliqua propositio, siue Doctrina digna existimetur censura Theologica, pernecesse est positio aliquo efficaci fundamento concludere, quod errorem contra fidem, vel bonos mores, vel contra Doctrinam Ecclesiæ expressè, vel illatiuè saltim contineat; non enim satis est, qualitercumque argumentari, multòque minus afferere, vel suspicari, sed positio efficaci arguento id euincere, vtì doctissimus Saura num.7. productus probat, Iurisque tam Cæsarei, quam Pontificij legibus firmat, quæ leges palam præscribunt, quod Author accusans, siue denuncians alium de aliquo delicto, siue alicuius scripta de praua Doctrina, ea præcipue, quæ à Persona fama publica Sanctitatis Vitæ, Virtutum, & Miraculorum pollente sunt exarata, probare tenetur plenè, ac planè concludenter id, quod accusat.

Id quod in nostra facti specie potiori titulo supponitur, & probatur num.8., agitur namque de Scriptis, quibus nedum præsumptio bonæ, & utilis Doctrinæ, sed & possessio, vel quasi possessio à plusquam sexaginta annis, ab anno videlicet 1670., quo præijs omnibus requisitis, licentijs, & approbationibus fuerunt Typis excussa: Exinde autem ad præsens usque tempus tot salutaris, sanæque Doctrinæ grauissima argumenta acceſſerunt, quot sunt editiones, & translationes in diuersas linguis, quot sunt pietatis fructus, quos ubique locorum ex eorumdem librorum lectura animæ spirituales Beatissimæ Virginis deuotæ præcipue colligerunt, & colligunt, quot sunt quoque Peccatores exinde ad emendationem vitæ conuersi, & conuertuntur, quotquot tandem sunt propugnacula, quæ per totam Positionem priorem Typis excussam fuso calamo, & in eius fine summatim exhibuimus: vnde afferere non erubescimus nulla hucusque huius generis scripta piorum hominum Sanctitatis Vitæ fama publica pollutum, priusquam ipsorum Causa Beatificationis, & Canonizationis in Sacra Rituum Congregatione ad ulteriora progrederetur, tanto plausu, fructuque accepta fuisse, & esse, adeout absque graui scandalo in Populo Christiano, vtì Gerson. num.8. productus aiebat, ea reprobare non liceat.

Sed & illud specialius accedit, quod hisce in scriptis agitur de admirandis vitæ gestis Mysterijs, & Sacramentis occultis Sanctissime Deiparæ per viam priuatæ reuelationis recensiris, ac reseratis, de qua loquens idem Gerson. part.1. super missus est ait: Proba-

<sup>4</sup>  
Bilia insuper sunt plura de, & super hac Beata Beatarum, quæ sunt accipienda de pietate devotionis, potius quam de fidei necessitate, ubi non suppetit authoritas Sacrae Scripturæ, nec ratio conuincentis. Deuotissimus pariter Petrus Cellensis Epist.9. Multa (inquit) præsumuntur de Virgine, quæ nunquam leguntur, & præsumptionibus est standum, donec probetur contrarium; Rationemque assignat dicens: singulare Virginis Priuilegium non habet similitudinis consortium: ut etenim S. Ecclesia de ipsa canit: nec prima simile visa est, nec habere sequentem: Sanctus quoque Augustinus loquens de quodam singulari eiusdem Deiparæ priuilegio Epist. ad Volusian. ait: Si hic queratur ratio, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare; demus ergo Deum aliquid posse, quod nos fateamur, inuestigare non posse. Demus igitur, & dicamus cum eodem Cellensi lib 6. Epist.23. Cataractis Cœli, & Fons abyssi libentius in obsequium Virginis soluerem, quem clauderem, atque si Filius eius aliquid omisisset in prærogatiua exaltationis Matris suæ, ego Seruus, ego mancipium non quidem de effectu, sed saltim de affectu supplere gestire: Mallem enim non habere linguam, quam aliquid dicere contra Dominam, aut eligerem non habere animam, quam vellem eius gloriam extenuare.

Quamvis itaque aliqua propositio ex historia vita Angelorum Reginae excerpta fidei, bonisue moribus, vel doctrinæ communi Ecclesiæ minimè consona, sed dissona primo aspectu alicui videatur, non id sufficit ad rectum, iustumque iudicium de ea reprobanda: necesse quippe est positivum aliquid fundamentum afferre Sacrae Scripturæ expressum, vel à SS. Patribus communiter expositum, cui reuera contrarietur, vel regulam aliquam morum præscriptam, cui expressè opponatur, vel doctrinam communem Ecclesiæ, à qua positiuè sit prorsùs aliena: Omnis namque assertio damnabilis per oppositam veritatem iuxta gradum certitudinis eius cognosci debet, ac discerni, vt Theologi controvertiae vñanimiter docent, neque vñquam rectè proceditur ex meris conjecturis, veletiam principijs purè probabilibus ad Censuras propositionum; alioquin Censura forent digna ea, quæ apud Scholasticos magno hinc inde laudabili studio agitantur, immo & ea, quæ apud Sacros Expositores non sine ingenti zelo, magnoque plausu discutiuntur, vt animaduertitur pag.6. num.10. nouæ huius Positionis.

An autem nouæ difficultates nobis benignè communicatae positivo aliquo fundamento valido innitantur, ita ut rite, rectèque concludant assertionum depromptarum aliquam, vel vnam tantum damnatione dignam esse, an potius omnes, & singulæ pia prudenti sufficienti probabilitate fulciantur? Id quidem rectissimum Iudicium Sententie submittimus, spe firma confideantes, nihil vel minimum damnationis dignum, sed potius pium, probabile totum inuenturos, votumque favorabile laturos, nihil videlicet obstare, quominus in Causa Beatificationis, & Canonizationis Ven. nostræ Abbatissæ Matris de Agreda ad ulteriora prout de iure procedatur.

5

Et que altius spes nostra erigitur, si præ oculis, uti supponimus, habeatur regula illa, quam num. 11. insinuamus, numerisque sequentibus communi calculo Sanctorum Patrum, Doctorum, ac Theologorum traditam, exemplisque stabilitam apponimus, piam scilicet affectionem, siue studium ab omni priuata passione, & potius liuore alienum ad benignè intelligenda, siue interpretanda Catholicorum scripta, & maximè, dum de rerum reuelatarum expressionibus, mysticisue phrasibus in eis agitur, quibus ritè intellectis, & explanatis pietas Christiana eruditur, & promouetur.

Hæc, & alia super germano statu Causæ paulò fusius habentur in principio nouæ Responsionis *litera A.*; Postque *litera B.* sequuntur quatuor Censurarum transumpta prout ad verbum communicata fuerunt, ad quarum solutionem, præmissa opportuna distributione in quatuor Classes *litera C.* progredimur: Quoniam autem aliæ sunt difficultates generales totam historiam concernentes, aliæ particulares singulas partes operis tangentes. Prima idcirco Classis erit de Difficultatibus, siue Observationibus generalibus. Secunda de particularibus super primam partem. Tertia super part. secundam, & quarta super tertiam, quibus tandem Iudicium exaduerso de toto Opere adjicitur, & euacuatur.

Priusquam tamen ad solutionem descendamus, opportuna, necessariaque generalis Doctrina præoculis habenda proponitur. Primò Textum, & Contextum Ven. Authoris omnino producendum duximus, sensum eius genuinum aperiendo: Etenim eius verba legitimè usurpata, & intellecta vim, & efficaciam in se ipsis habent ad diluendas quascumque difficultates, non aliter (seruata seruanda proportione) ac Sacras Scripturas bene intellectas vim habere in se, & efficaciam ad eneruanda argumenta, versutiasque Hæreticorum, Sacri Expositores obseruant, & satentur. Huiusmodi quippe gratiæ accessione Seruam suam Deum ornasse, ac præuenisse pro exaranda vita suæ Sanctissimæ Genitricis depræhenditur, vt omnem alicuius momenti difficultatem præoccupet, solutionemque præueniat, immo etiam non semel vno verbo eidem occurrat: quo verò melius appareat eorumdem verborum energia, textum ipsum hispanicum, vt iacet in exemplari compulsato ex authographo Dei Famulæ in Processu authoritate Ordinaria ab Episcopo eiusdem Diocesano constructo, fidelissimè transcripto, & Sacra Rituum Congregationi dudum, ut dictum est, exhibito, examinato, & approbato transcriptum damus; & quoniam non semel in contrarijs obseruationibus verba Ven. Authoris circumcisæ, & nudata à spiritu, & mente conspiciuntur, idcirco fideliter translata ex hispanico exemplari in latinum idioma è regione collocamus, exindeque quid Venerab. Scriptrix in Textibus adnotatis senserit, siue sensisse, certo constet, animaduertimus, sin autem sensus non certus, sed anceps appareat ex circumstantia Scripturæ, hoc est ex antecedentibus, & consequentibus deducimus iuxta regulas

præ-

præscriptas à SS. Patribus, ac Doctoribus sub eadem *litera C.*  
adnotatis.

Postremò vt quæ & qualis Author Ven. Librorum, de quibus  
in præsenti sit, constet, eiusque Sanctitatis Vitæ, Virtutum,  
& Miraculorum publica fama, haud importunum existima-  
vimus in medium producere sub *litera D.* Informationem Iu-  
dicum Remissorialium desuper ex Processu Apostolico ab ijsdem  
constructo extractam, atque ad Sacram Rituum Congregatio-  
nem vna simul cum Literis informatiis ipsorum Iudicium  
seorsim transmissam.



# S Y N O P S I S PRIMÆ CLASSIS

Sub Litera E.

## *De Observationibus generalibus totam Historiam concernentibus.*



- 1 Orrò generalis quædam præfatio duabus præcipue Censuris præfigitur, quam vt potè valde diffusam quartæ præcipue Censuræ per partes opus fuit exhibere, vt semota omni confusione clariùs, & faciliùs in responsione procedatur, eius Textus principium à num. 5. ad 7. usque recensetur, in quo quidem magnus zelus ostentatur pro firmitate, irreformabilitate, & infallibilitate Apostolicæ authortatis in suis iudicijs, ac Decretis, nonnullaque supponuntur, quæ nedum importuna sunt ad intentum præsens, sed & insubstantia prorsùs tam in iure, quam in facto, attento præsertim actuali statu Causæ huius fusè prænarrato in hac noua Positione *litera A.*, compendiosèque præsentis Synopsis initio. Plura deinde excitantur Dubia exaduersò num. 8. & 10. recensita.
- 2 Primò nempe dubitatur; an expeditat firmitati, & irreformabilitati Iudicij Apostolici, quo prævia Theologorum Censura de Voto Congregationis S. Officij Liber damnatur, & eo inuariato, nullatenusque correcto, in examen denuò vocetur, Censuræ communicentur, atque in questionem vocetur, si Papæ iudicium iustum fuerit, reuocarie debeat cum approbatione, siue permissione Libri iam damnati. Secundò in particulari, si subsistere debeat damnatio ab Innocentio XI. supradicta solemnitate Librorum Sororis Mariæ de Agreda, vel potius approbari debeat.
- 3 Tertiò: an supposito (vti supponitur) quod Censuræ fuerint Defensoribus communicatae, liceat eis insubstantes illas apparere procurare, Papamque, & Congregationem S. Officij in eis Libris damnandis errasse, atque id conferat ad iustum manutenenandam infallibilitatem Iudicij Apostolici? Quartò tandem (supposito etiam, vt supponitur) quod Inquisitio Hispaniæ Libros approbauerit, & Romæ fuerint prohibiti, quale sit infallibile Iudicium, illud nempè Roma prohibens, vel illud Hispaniæ approbans?
- 4 Hæc sunt Dubia præcipua, quæ in præfatione Censuræ eius Author zelo ductus excitat, numeris citatis recensita, quibus aliquæ suppotiones num. 6., & 7. adiunguntur, tum videlicet, quod forma eadem præfati Libri Matris de Agreda damnati fuerunt, qua alij

à Sum-

à Summis Pontificibus Paulo V., Alexandro VII., & Innocen-  
tio XI., tum quod maiori cum fundamento ansa præberetur dubi-  
tantibus de veritate, & rectitudine Iudicij Apostolici in casu præ-  
senti, ac in eo, quo Authores Librorum damnatorum à præfatis  
Summis Pontificibus prætenderent, ac postularent Censuras desu-  
per sibi, vt responderent, communicari. Tum quod Defensores  
videntes impossibilitatem obtinendi reuocationem damnationis ab  
Innocentio XI. recursum habuerunt ad Reges Hispaniarum, qui-  
bus mediantibus à Papa obtinuerunt, quod denuò Libri examina-  
rentur in quadam Congregatione Particulari. Tum quod hoc Iu-  
dicio pendente in Congregatione S. Officij Romæ, Inquisitio Hi-  
spaniæ non attenta, nec expectata resolutione Romæ, decreuit,  
quod dicti Libri liberè legi possent. Tum denique, quod Defen-  
sores videntes ad ipsorum instantiam eos Libros fuisse ab Indice  
prohibitorum de mandato speciali san. mem. Clementis XI. deletos  
(quod tacetur, estque notorium) publicis folijs sparserunt, Ro-  
mam tandem veritatem agnouisse.

## RESPONSIO RESTRICTIVA

*Aº num. II. ad 14. datur.*

**D**ubia hæc præiacta, & suppositiones, si status Causæ, vt supra  
diximus, si dispositiones, ac Decreta Summorum Pontificum  
desuper emanata in Summario prioris Positionis per extensum  
transcripta, si factum verum, & innegabile ibidem prænarratum,  
si saltem denique adeò æquitatis, & Iustitiae legibus consona di-  
positio Sanctissimi Domini Nostri CLEMENTIS PAPÆ XII. in  
principio præsentis relata obseruentur, nedum importuna ad  
finem, siue effectum, de quo in præsenti, sed & insubstantia in  
Iure, & in Facto immò, & veritati dissona, Iurisque, authori-  
tatisue Supremi Iudicis, Summique Pontificis debitæ obseruan-  
tia parum conformia, nè dicamus læsiua, quisque haud agnosceret  
nequibit, nosque ad oculos patefacimus num. II. 12. & 13., vt vi-  
dere est.

**C**ontextus reliquus prefationis à num. 14. ad 19.  
usque recensetur.

**P**rogre diamur ergò ( prosequitur eius Author ) ad materiam, &  
loquendo in generali, dicam, quod hoc opus aut rejci debet  
velut falsitatibus, & illusionibus plenum, aut acceptari debeat,  
velut Canonicum, tum ob modum, quo fuit scriptum, tum ob ma-  
teriam, quam continet, tum ob autoritatem approbantis, cui  
simile non inuenitur in Canonicis Scriptoribus; quantum ad pri-  
mum ( Censor inquit ) modum describit Mater de Agreda, quo fuit  
præparata, vt nec Isay., nec Ierem., nec ullus Prophetarum pos-  
sit ei comparari, vt patet ex his, quæ par. i. Introductionis nu-  
mer. 17. ipsa recenset, quantum ad secundum ( opponitur pag. 6.  
num. 17.

*De Observationibus generalibus.*

9

num. 17, dum Libri Canonici ab Ecclesia approbationem habent, iti i approbatione solemní triū Diuinārum Personarū fulciti proponuntur par. 3. epist. ad Moniales.

- 7 Deinde doctrina, quæ in hisce Libris continetur, aut ipsa par. 1. num. 10. plena est mysterijs, quæ proponuntur Ecclesiæ vniuersali credenda, & quæ non eidem fuerunt in principio manifestata, eo quod adeò sublimia sunt, quod Fideles tunc detinerentur in eis admirandis, & scrutandis, dum necesse erat prius legem gratiæ, & Euangelij stabiliri, & quod de eisdem locutus est Christus, quando Discipulis suis in ultima Cœna dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo: Aut ergo (infert Observator) totum hoc est verum? & sic Libri isti venerari debent ab Ecclesia, ut Canonici, aut non est verum? & sic qui eos scripsit planè fuit deceptus, purasque illusiones exarauit, & in hoc casu non debet Ecclesia huiusmodi fallacias Fidelibus permittere, sed potius manuteneret damnationem ab eadem factam.*
- 8 Hucusque Textus, & Contextus præfationis summatim quoad substantiam prætermisis, videlicet varijs liberis ratiocinationibus (de quibus infra), quæ proferuntur pag. 2. num. 2., & à num. 19. usque ad 23. pag. 6., & 7. inclusiue. Quam sanè præfationem eti sub alijs terminis plus, minusve proprijs, non in una, vel altera obseruationum serie, sed & in alijs inuenimus, in nulla tamen adeò rigida apparet, quam in quarta tenoris sequentis pagin. 8. num. 24., videlicet: *Cum ad manus meas deuenerint Scripta Matris de Agreda, in eisdemque legerim segetem copiosam rerum nouarum inauditarum, & extraugantium, quas sibi à Deo, & B. Virgine, reuelatas afferit, nolui non habere præsens prudentissimum illud præceptum Pauli ad Thessalonic. 1. v. 21. Omnia probate, & quod bonum est tenete. Ed & maximè cum agatur de reuelationibus, quæ afferuntur fæmine factæ, quamplures desuper mihi occurrunt propositiones, quæ videntur erroneæ, aliæ temerariae, false, malefiantes, scandalosa, plures deinde narrationes, quæ videntur figmenta, somnia, chimerae. Tribuuntur etiam B. Mariae Virginis dicta, & facta impropria, indecentia, dissonantia, stulta, ridicula, indignaque eidem Virginis, quæ properea reuelata esse nequeunt; Ea igitur talia, vt reor, notare volo, non autem omnia: ad id enim opus esset volumen magnum efformare, sed partim, ut vitam B. Mariae Virginis, quam deturpant, vindicem, Fidelesque à fide, & lectura historie huius retraham, ac submoueam.*
- 9 Ecce præfationem quartæ Censuræ præfixam, verè quidem laudabilem, vt potè zelo plenam, si quidquam ex his, quæ in adeò inaudita vñquam censura adnotantur appareret, idque aliquo positivo efficaci fundamento, vel saltem probabili, siue etiam apparenti probaretur, vt non probari, sed potius quamplures continere propositiones Vitam Beatissimæ Virginis denigrantes, eiisque gloriam, decorum, & excellentiam, ac prærogatiwas diminuentes, palam ex dicendis quodammodo demonstrabitur.
- 10 Pro nunc autem, quoniam vtriusque præfationis potissimum scopus, vt appareat, ed tendit, ut concludat Ven. Authorem historie eam intendisse proponere vniuersali Ecclesiæ velut Canonicam, nouumue Euangeliū Mariæ Sanctissimæ (vt in alia præsumitur)

à cunctis Fidelibus admittendum, eius mentem genuinam, & expressam desuper aperimus, nonnullaque præmittimus pag. 8. numer. 25., & seqq. Primo quidem Doctrinam inconcessam inter SS. Patres, misticos Doctores, ac Theologos de diuisione reuelationis in priuatam, siue particularem, & publicam, siue communem, earumque discrimine. Reuelatio communis, & publica est, quæ mediante aliquo Ministro publico à Deo destinato ab Ecclesia, ut talis proponitur; particularis vero, siue priuata potest considerari, vel respectu personæ illam recipientis, vel respectu aliorum, quibus velut talis verbo, vel scripto narratur. Primo modo certissimum est recipientem illi assentiri debere Fide Diuina supernaturali, & maximè dum ei sufficienter proponitur, quando videlicet certò firmiter cognovit lumine superno speciali nedum veritatem obiecti repelati, quæ dicitur cogitio euidens rei attestatæ, sed & attestationem, siue locutionem Dei, quæ dicitur euidentia attestantis.

21 Dam reuelatio, resque reuelata sic proponitur, anima illam recipiens, & intelligens tenetur, immò & compellitur reuelationi, & rei reuelata fide certa, firma, & supernaturali assentiri, itaut dissentiri, & si vellet, non valeat, vt̄ conuincitur pag. 9. num. 26. ex Doctrina S. Anselmi, S. Bonaventuræ, Ricchardi à Sancto Victore, numero sequenti exemplis SS. Catharinæ Senen., Theresiæ, & nostræ Ven. Scriptricis coherenter loquentis verbis ex num. 28. prima partis de promptis. Sin autem secundo modo reuelatio sumatur, hoc est respectu aliorum, quibus non immediatè fit, nec per medium iufallibile, sed mediante persona priuata, quæ modo dicto illam recepit, proponitur, & narratur, tunc eam audientes, vel legentes minimè tenentur, immò nec reuerâ possunt illius Dicto Fide Diuina supernaturali assentiri, bene vero pia, humana, prudenti, vt̄ Suarez, & Cardinalis Bona pag. 20. num. 29. citati expressis verbis docent. Idecō eas spernere reuelationes Apostolus prohibet, pag. eadem num. 30., Sacrique Doctores illum exponentes, necnon Leo X. in Concilio Lateranensi Constitutione illa, quam pag. 11. num. 31. adnotamus, quamque si Censor præ oculis habuisset, vt̄ habuit in abusum illam Apostoli Sententiam: *Omnia probate, quod bonum est tenete*, non ita facili rigida Censura historiam vitæ Beatissimæ Virginalis ab eius Famula Ven. Matre à Iesu conscriptam castigasset.

*Mens Ven. Authoris de fide suis Scriptis præstanda aperitur pag. 12. à num. 33.  
vsque ad 42.*

22 **V**od Ven. nostra Abbatissa sua Scripta, & omnia, quæ in eis continetur, intendat velut de fide credenda vniuersali Ecclesiæ proponere, scopulus est, in quem Author Censuræ impegit, nonnullique alij incident, scopusque potissimum contraria-rem multarum Observationum: sed quam alienum, violentumque sit, ad euidentiam vsque conuinci posset ex varijs, nè dicamus innumeris eiusdem Testimonijs, & protestationibus, atque non alium,

- alium, quam pius, prudentem, humanum assensum exquirere, vniuersi usque libertati relinquendo assentiri, vel dissentiri.
- 13 Id porrò concluditur ( prætermisis pluribus alijs ) postrema perio-  
do, qua suum opus terminauit, & quam, vt iacet, producimus pa-  
gia. 14. num. 37. ex hispanica in latinam versam huius tenoris : *Hanc historiam ( vt inter scribendum sèpè numero dixi ) scriptam  
relinquo ex obedientia meorum Superiorum, & eorum, qui à Con-  
fessionibus mihi sunt, & res animæ meæ dirigunt, certa, & secura-  
per hoc medium obedientiæ id placuisse Diuinæ voluntati, quodque  
Sanctissimæ Dei Genitrici Mariæ obtemperarem, quæ per plures an-  
nos id mihi præceperat : & quamuis iam subieceram Censuræ, ac Iu-  
dicio meorum Directorum, omnia de verbo ad verbum denuò tamen  
meliori ipsorum Iudicio subijcio, & super omnia Sanctæ Ecclesiæ cor-  
rectioni, & emendationi, ego velut filia, vtì palam testor, penitus  
subiecta, subditaque sum, itaut id solùm credam, & teneam, quod  
ipsa Sancta Mater Ecclesia approbauerit, & crediderit; id verò, quod  
ipsa improbauerit ego pariter improbem, & reiçiam. In hac enim  
obedientia viuere, & mori volo. Amen.*
- 14 Si igitur Ven. Scriptrix adeò expressè sese explicat, qualiter vix in  
alijs Scriptis simile inuenietur, si se, suaque Scripta velut vera  
Filia, & Subdita Sanctæ Romanæ Ecclesiæ eius correctioni, &  
emendationi submittit, itaut nihil se credere, aut tenere in suis  
Scriptis protestetur, nisi id solùm, quod ipsa Sancta Mater Eccle-  
sia approbauerit, & crediderit, quodque illa improbauerit ipsam  
pariter improbare, & reiçere, violentissimum, alienumque pro-  
fus à ratione, veritate, & justitia cogitate, vel etiam somniori, quod  
Ven. Abbatissa nostra præsumpsit vniuersæ Ecclesiæ sua Scripta  
Fide Diuina credenda proponere.
- 15 Nec Librorum Defensores, vtì exaduersò non minus violenter, &  
iniuste clamatur, aliud prætendere cogitarunt, quam adeò expre-  
sam literalem mentem Ven. eorum Scriptricis notam facere ad  
occurrendum vanæ quorumdam suspicioni, qui contrarium pro-  
pterea obtrudebant; quod eis placeret insistere nudæ alicui voci,  
vel narrationi nudatae à spiritu, sensuque legitimo, & plano totius  
contextus verborum, vtique contra regulas pro intelligentis, siue  
interpretandis Scriptis aliorum maximè Catholicorum præscri-  
ptas, quas præmisimus ex Sanctissimis Patribus, Mysticis Docto-  
ribus, ac Theologis : longè verò minus Librorum horum Defen-  
sores obtinere à Sancta Sede vñquam cogitarunt positivam ullam  
eorumdem approbationem, sed permisssuam dumtaxat, vtì per-  
mittuntur multæ aliae visiones, & reuelationes, piaue medita-  
tiones, siue approbationem illi similem, quam Eminentissimus  
Turrecremata in defensione reuelationum S. Birgittæ à Concilio  
Constantiensi haberi prætendebat; posse nimirum legi in Ecclesia  
Dei, eo modo, quo multorum aliorum Libri, & Sanctorum historiæ li-  
centiantur, legi à Fidelibus.
- 16 Constito itaque ad evidentiam usque, neque Ven. Scriptricem suis  
Scriptis, neque eorum Defensores fidem aliam exhiberi cogitasse,  
quam piam, humanam, prudentem, deneganda non est huiusmodi  
credulitas eidem Scriptrici, serio, iteratòque afferenti superno lu-  
mine irrigatam, de mandato Dei, Beatissimæ Virginis, & Ange-

lorum, ac de Superiorum, Directorumque suorum obedientia totam hanc historiam exarasse, sed potius commendanda est ad Fidelium ædificationem, ni si forte aliquo positivo fundamento efficiaci quidquam ex parte materiæ sanæ Doctrinæ aduersum, siue expunctione dignum in ea contineri concludatur; ita fusiū ex multiplici capite euincitur pag. 3. nouæ Positionis sub titulo: *Doctrina generalis obseruanda*: præcipuè verò argumento, signoque primario ( si minus unico ) quod SS. Patres, mysticique Doctores communi calculo statuunt ex parte personæ visionis recipientis, ad eas veras, ac Diuinæ fide pia, humana, prudenti credibiles existimandas, quod nimis probatæ vitæ Sanctitatis, virtutum, & miraculorum publica, constanti fama polleat, ut dicitur, & persuadetur, ubi supra num. 4., & sequenti fundamentis ineluctabilibus, ut videre est.

37 Cùm igitur Venerabilis nostra Abbatissa à primo rationis usu, immo & incunabilis ad mortem, & usque modo Sanctitatis Vitæ, Virtutum in gradu heroico, & Miraculorum quamplurium, gratiarum, necnon siue Donorum supernaturalium scientiæ, & sapientiæ infusæ, prophetiæ, spirituum discretionis, aliorumque omnium publicam famam possederit, & possideat. Eaque constans sit apud universum Catholicum Orbem, & præcipuè apud Sanctam Sedem ex Procesu tum Ordinario dudum exhibito, examinato, & approbato à Sacra Rituam Congregatione die 17. Iunij 1673. Tum Apostolico annuente san. mem. Clemente X. confessio, atque de benignitate Ven. Innocentij XI. de Voto eiusdem Sacrae Congregationis introducto, & aperto die 2. Septembris 1679., tum ex literis informatiis Ordinarij, & præcipuè Iudicium Remissorialium ad literam productis, ut videre est, innegabile inde argumentum exurgit pro fide pia, humana, prudenti præstanta Ven. Librorum Authori serio, iteratòque afferenti eos ex Diuina reuelatione, manu propria, obedientia compulsam conscripsisse, siue pro pio, prudenti, humano Iudicio efformando de eius testimonij veracitate, ac perconsequens de pia, prudenti credibilitate obiectorum, quæ ut reuelata proponuntur, & ratio est: eadem namque fide, qua creditur reuelatio alicui facta, obiectum creditur reuelatum, ac proinde eius existentiæ veritas fide humana, pia, & prudenti probabiliter saltem fit credibilis: est itaque utrumque probabile, pièque credibile, & quod asserta reuelatio facta sit, & quod obiectum sit reuelatum.

38 Placuit hanc inconcussam doctrinam adjicere, ut appareat inconsiderata apprehensio, vanusque timor nonnullorum inde conceptus, quod si prefati Libri veluti reuelati à Deo ab eorum Authori proponuntur, & eorum Defensores velut tales propugnare contendant, aditus precluditur probabilitati opinionum, quæ in Scholis Thomistica præsertim defenduntur, his contraria, quæ in his Libris stabiliuntur, hæc inquam inconsideratio, vanusque timor apparet: non enim aliter eos legentibus proponuntur legendi, siue accipiendi, quam aliarum Dei Seruarum verb. grat. SS. Ildegaridis, Gertrudis, Birgittæ, Catharinæ Senen., Theresiæ, & Magdalena de Pazzis Libri proponuntur Fidelibus, ab eisque leguntur, & acceptantur, non quidem, ut reuelati Fide Diuina cre-

eredibiles, sed humana, pia, prudenti, probabili tantum, relictâ cuique libertate oppositum sentiendi.

Præiactis generalibus Observationibus  
respondetur pag. 17. à num. 45.

- 19 P Riusquam his Observationibus, alijsque adnotandis fiat satis, certa ab incertis, opportua ab importunis, veraque à falso discernere operæ præmium est. Supponitur ex non semel dictis, sed præcipue §. Ex Informatione Iudicium Remissorialium num. 21. ad vnguem recensita, scopum, siue finem præsentis examinis, quæ revisionis librorum in hac vnicè investigatione versari: Vtrum quidquam in eis contineatur, vel ex eis resultet, quod legitimè, & prout de iure impedire valeat, ne ad ulteriora progrederiatur in Causa Beatificationis, & Canonizationis eorum Authoris in vim Decreti generalis, siue legis de voto Sacrae vniuersalis Inquisitionis Romanæ emanatae à san. mem. Urbano VIII. stabilitæ, ibidem ad literam recipiatur: reliqua namque ad Causam ipsam directè, & proximè pertinent, nimirum circa Sanctitatem Vitæ, Virtutum, & Miraculorum, siue etiam circa formam, modum, qualitatem visionum, reuelationum, extasum, apparitionum, orationis, gratiarum, ac donorum, aliaque huiusmodi, animaduertenda à Domino Fidei Promotore, atque in Sac. Rit. Congregatione examinanda accedente tempore sub dubio Virtutum in specie proponenda, & non antea.
- 20 Hæc etsi notissima sint Consultoribus, & Iudicibus pro huiuscmodi Causis deputatis, & præpositis, in Testem nihilominus adducimus singularem ob notoriæ eruditionem, & experientiam in similibus negotijs, Eminentissimum nempè Lambertinum, qui item. 2. nuper in lucem edito de Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, utissima documenta, regulasque præ oculis habendas, alijsque quibuscumque, si quæ forsan ab aliquo non tam practico, sed inexperto pro instructione Domini Promotoris nuper fuerint exhibitat eidem Sac. Congregationi, præponendas pro examinandis, siue reuidendis Scriptis Seruorum Dei, de quorum Beatificatione, & Canonizatione apud S. Sedem agitur, præscribit.
- 21 In primis equidem cap. 28. sub tit. de animaduertendis in horum Operum revisione inquirit, quis sit finis, siue scopus Iudicij revisionis Operum? & respondet dicens, & statuens: Finis, siue scopus huius Iudicij est, ut videatur, an Doctrina Serui Dei, quam scriptis exposuit, sit immunis à quacumque Theologica Censura, & ita quident, quod si Revisoribus aliquid præter Doctrinam adnotetur seuerè loquendo dicendum sit, ad eorum messem non pertinere. Id colligitur (inquit num. 4.) ex litera Decretorum, quæ est ad doctrinam limitata; Colligitur quoque ex vsa Sac. Congregationis quippe me exercente munus Fidei Promotoris, dum agebatur de Causa Vallisoletana Ludouici à Ponte Societatis Iesu, deputati fuere nonnulli Theologi, qui eius opera reuiderent, cumque dixissent ipsi, nihil reperiri, quod ad Doctrinam pertinet, sed tantum ex quodam opere desumi posse nonnulla, quæ virtuti moderationis, quam humilitatem appellamus,

& done

- G**oно discretionis spirituum obstatre possent, Sacra nihilominus Congregatio die 15. Septembris 1714. mandauit progressum ad vteriora in Causa prædicta. Imposuit tamen, ut in Animaduerstonibus à Fidei Promotore suis tempore, G loco faciendis super Dubio Virtutum, vteretur ipse etiam oppositionibus, quæ à Reuisoribus fuerunt excitatæ extra argumentum Doctrinæ.
- 22** Consimile Decretum (prosequitur) ab eadem Sac. Congregatione prodidit in Causa Maiorieensi Serui Dei Rodriguez, in qua non obstantibus, quæ fuerunt à Reuisoribus operum propositæ, responsum pariter fuit, quod progressus fieret ad vteriora, èd quod oppositiones huiusmodi Reuisorum, utpote potius mores, quam doctrinam respicientes, recenserentur in animaduerstonibus subsequenter faciendis super Dubio Virtutum Theologicarum, G Cardinalium, quod porrè à me factum est, cum dictas Animaduerstiones exaraui; alia possunt congeri exempla Causarum (adiungit) videlicet Dei Serui Bernardini Realini, G Angelopolitanæ Seruæ Dei Miriæ à Iesu, vñ habetur ex Decreto edito die 22. Ianuarij 1724.
- 23** Numero deinde 5. id confirmans scribit: Seclusis his circumstantijs (quæ ibi referantur) Iudicium de Operum reuisione est absolutum, nec ullo modo propter sanæ doctrinæ dubietatem differri vulet (progressus Causæ), atque ad tempus remitti debet, quo de Virtutibus agendum est. Posito igitur (prosequitur) quod iudicium reuisionis operum sit solius Doctrinæ Iudicium, Decretaque generalia Urbani VIII. præscribant ea, quæ à Reuisoribus sunt adnotanda, videlicet, an in operibus error contineatur contra fidem, vel bonos mores, vel Doctrina aliqua noua, G peregrina à communi Ecclesiæ sensu, G consuetudine aliena.
- 24** Capite tandem 32. in specie pertractans de adnotatis, & adnotandis à Reuisoribus super visiones, reuelationes, Prophetias, ibique sèpè in Relationibus Reuisorum Sac. Congregationi exhibitis actum vidisse fatetur num. 2., & sequentibus usque ad 8. inclusuè varias varijs modis propositas relationes Reuisorum refert, post quarum recitationem num. 9. hoc quælitum efformat, an huiusmodi Animaduerstiones aptæ, G sufficientes sint, ut Causæ Beatificationis, G Canonizationis silentium imponatur, cui respondet, dicens: Ea adnotata ut supra (idem dicendum de alijs) seuerè loquendo, fuerunt quidem ultra ipsorum Reuisorum officium, G munus, quia eorum officium in Examine Doctrinæ consistit: Difficultas (adicit) de qualitate reuelationis, an Diuina, an naturalis, an ficta, vel illusoria fuerit, Iudicium dependens ab alijs circumstantijs ad Sacram Congregationem pertinet id instituentem, quando agitur de Virtutibus, G gratijs gratis datis post Animaduerstiones factas à Fidei Promotore, qui tūm ex Processibus, tūm ex alijs monumentis extra Procesus proponenda deducere poterit, ut videatur, utrum reuelationes à Deo fuerint; an piæ meditationes, vel illusoriae? De his enim reuelationis qualitatibus non in hoc Iudicio agendum est, sed tantum quando proponitur Dubium de Virtutibus, tunc scilicet onus est Fidei Promotoris strictim perpendere qualitates eius, cui apparitio, visio, G reuelatio facta est, earumque modum, G effectus inde productus? ex his quippe dignoscitur, cuius generis fuerint.

## Corollarium necessarium præ oculis habendum.

- 25 **E**x praicta Doctrina, regulisque à tanto, tamque pratico Scriptore, atque Teste prescriptis, à quibus, ut S. Augustinus term. de verbis Domini his verbis animaduertit: *Qui quis regulis, & præcepta contempserit, necesse est incurrat in Pseudo Prophetas, & quod peius est blasphemet veros Prophetas, recedere non licet, velut inconcessum, firmatumque manet, id quod suprà suppositum extat scopum videlicet, siue finem Examinis librorum Ven. nostræ Abbatissæ, Iudiciumque de reuelationibus in eis contentis, non extendi ad veritatem de facto, modum, formam, & qualitatem earum, an videlicet sicut verè à Deo factæ, an è potius pia meditationes, vel discursus naturales?, an illusoriar, siue magnificationes, somnia, siue figmenta? sed unice circà doctrinam, siue materiam, quam continent in vim Decreti, siue legis generalis Urban: VIII. de voto, & consilio Sacrae vniuersalis Inquisitionis emanatae, usus nec non siue practicæ consuetudinis Sacrorum Rituum Congregationis, an videlicet in eis contineatur error aliquis contra fidem, vel bonos mores, vel Doctrinam aliqua noua, & peregrina à communi Ecclesiæ sensu, & consuetudine aliena, hoc est positivè dissensa, & contraria? ut exponunt uniformiter quotquot desuper scribunt.*
- 26 Porro si id contineri non appareat, & contineri efficaci arguento, ut dictum est, conuincatur, quidquid aliud obisciatur, vel adnotetur, puta circa Sanctitatis Vitæ, Virtutum, & Miraculorum famam, vel circa modum, formam, qualitatem reuelationum, que in libris Ven. Authoris narrantur, ad effectum de quo agitur, impertinens prorsus est, atque extrâ messem, munus, & officium Examinatorum, ut potè Fidei Promotori animaduertendum, atque in Sac. Rituum Congregatione examinandum accidente tempore super Dubio Virtutum, & non antea, ut appareat ex regulis praefixis, & exemplis Decretorum ab eadem Sacra Congregatione præcitorum, præzi nec non & consuetudine inviolabili eiusdem.
- 27 Si quæ itaque in Censuris nobis communicatis ab Examinatoribus adnotantur, extra Doctrinam, siue materiam, non exinde cursus Causæ Beatificationis, & Canonicationis dudum iam introductæ impediri, siue diutiùs retardari, sed potius prout de iure prosequi debet: Causæ etenim Servorum Dei in adeo rectissimo Tribunali semel introductæ vi Processus nedum Ordinarij approbati, sed & Apostolici aperti, non iam arbitriaræ videntur, sed de rigore Iustitiae discuti, ac prosequi exigunt, dummodò impedimentum supradictum ex parte doctrinæ, siue materiae in ipsorum Scriptis Examini suppositis non appareat, & probetur, & quidem iure proueniente ex grauitate negotij, quo sane nullum grauius in Ecclesiæ regimine occurri valet, solique propterea eius Supremo Capiti reseruatum, utpote gloriam Dei, decus S. R. Ecclesiæ Catholicæ Fidei præsidium, & Fidelium communem ædificationem concernent,

prout

prout ipsi Summi Pontifices quoties ad decernendum alicuius Serui, vel Seruit Dei gradum, & honorem Beatificationis deueniunt, literis suis ea omnia exprimere solent.

- 28 Quoniam ergo nendum in obseruationibus generalibus praictis de-nuò adnotatis, verùm & in particularibus quamplura extra doctrinam, siue materiam adnotata conspiciuntur, immo etiam scopus principalis omnium eò potissimè tendit, vt persuadeatur, libros Matris de Agreda non per Dei reuelationem fuisse conscriptos, eosque propterea reprobandos, ac reiiciendos fore, quo non obstante hisce omnibus, & singulis satisfecisse credamus à num. 130. usque ad 180. præsentis Positionis, illis dumtaxat, quæ ad materiam quodammodo pertinere videantur generali legi, menti, præxi, & consuetudini S. Sedis inherendo satisfacere cogimur, reliquis autem quæ punctum hoc præcism nullatenus concernunt, respondere in præsenti ommittimus, sola earum recitatione contenti, utpote impertinentibus prorsus.

### O B S E R V A T I O I. II., ET III. G E N E R A L I S.

- 29 Modus in primis obseruatur, quo Mater de Agreda protestatur fuisse præparatam ad conscribendam historiam Vitæ Beatissimæ Virginis, talis, quod nec Isay., nec Ierem., nec ullus Prophetarum possit ei comparari, quod videlicet ultrà præceptum à Deo, vt manus ad opus apponere, fuit à Beata Virgine gratia speciali, & lumine abbundanti superfusa, à sex Angelis purificata, scientia infusa irrigata, alba ueste fulgenti induita, cingulo pretioso præcincta, atque ad supremum perfectionis gradum euocata, ac tandem velut Instrumentum mutum linguae Beatæ Virginis, eiusque Sapientiæ directum. Secundò obseruatur, quod libri præsentes afferuntur ab Authore à Deo, à Maria Sanctissima, & ab Angelis dictati, ac titulo Diuinæ Historiæ decorati. Tertiò, quod proponuntur à Sanctissima Trinitate solemniter approbati, dum libri Canonici ab Ecclesia dumtaxat approbationem habent.
- 30 Hisce tribus obseruationibus etsi extra chorūm sint, & importunæ ex dictis, ad sufficientiam respondetur pag. 18. num. 47., & sequentibus, nouæ Positionis.

### O B S E R V A T I O IV.

*Pag. 20. num. 56. super Verba Venerabilis Authoris num. 10.  
introductionis ad primam partem.*

Quibus introducitur Altissimus Famulam suam alloquens, ac dicens: *Hæc Mysteria non manifestauit in primitiua Ecclesia; Sunt enim ad eam magna, & magnifica, quod Fideles detinerentur in eis scrutandis, & admirandis, dum necesse erat, quod Lex gratiæ, & Euangelij stabiliretur.*

- 31 Huic obseruationi, etsi absque ullius momenti qualificationis nota propositæ respondetur pag. 21. num. 87. verbis Ven. Authoris, quæ reuera attente persensa aliud non exprimunt, quām innegabilem suavis Diuinæ Sapientiæ, & Prouidentiæ commendationem,

quam

quam ab initio Ecclesiæ in ea illustranda de mirabilibus operibus, Mysterijs, & Sacramentis suæ Sanctissimæ Matris Altissimus exhibuit, semperque exhibet, vt singulas clausulas expendendo palam fit num. 59. vsque ad 64. hæc (inquit Altissimus famulam suam alloquens) non manifestauit in primitiuæ Ecclesiæ: id est non ea Mysteria, & Sacraenta Beatissimæ Virginis expressè reseraui, siue nota fæcie explicitè: Id enim in rigore sermonis exprimit verbum illud: *Manifestauit*: Ea quippe omnia, & singula, quæ Matri suæ fecit, qui potens est, in Sacris Literis implicitè contenta sub velamine figurarum, & enigmatum mansisse, clausaque manere non semel ipsa Ven. Author mirè declarat, Sacrique Doctores passim fatentur, quorum nonnullos in laudata positione art. 3. §. 1. Classis primæ adduximus.

32 Nonnulla etiam ex his miris magnificis Mysterijs, & Sacramentis ab initio Ecclesiæ per Sanctos Apostolos, & Euangelistas explicitè, aliaque deinceps per Sanctos Patres, ac Doctores successu temporum per singulas ætates reseranda ex eisdem SS. Patribus, & Doctoribus ibidem supposuimus. Cur autem non ea simul in principio Ecclesiæ, nec deinceps expressè manifestauit, sed successuè per temporum curricula? Si ratio à priori queratur, aliam inuestigare non licet, quam Dei beneplacitum, eiusque Sapientia, & prouidentia inscrutabilia Iudicia, sin autem rationes à posteriori congruentiales desiderentur, adsunt quamplures id persuadentes, quarum nonnullas eadem Dei Famula varijs in locis assignat, & quidem easdem, quas Sacri Doctores statuunt suam Diuinam prouidentiam desuper commendantes, vt videre est, præcipue, si placet, in expositione tituli historiæ præfixi, quam in limine Positionis præfatæ per partes præmisimus, idque amplius ex immediatè dicendis patebit.

33 Quare autem alia quamplura magna, & magnifica gesta, & Mysteria Beatissimæ Virginis eousque occulta his vltimis nostris temporibus manifestanda seruauit Altissimus, idque per Famulam suam Mariam à Iesu de Agreda, Instrumentum debile, & improporionatum, vt ipsa non semel, sed sèpè sèpius, ne dicamus passim, à principio ad finem usque operis fatetur? si ratio à priori pariter queratur? quia sic piacuit Altissimo, respondetur, quin aliud opus sit inuestigare. Adsunt verumtamen rationes congruentiales à posteriori utrumque persuadentes. Primum quidem, vt vide est quoque tūm in expositione quartæ partis tituli: videlicet *manifestata his vltimis temporibus*, tūm art. 5. primæ Classis §. primo eiusdem Positionis, vbi historiam præsentem Vitæ Sanctissimæ Dei Genitricis opportunam esse his vltimis temporibus, non levibus fundamentis concluditur.

34 Secundum etiam non minùs persuadentes rationes adducuntur art. 8. eiusdem primæ Classis sub titulo: *De maiori Dei gloria ex Instrumento debiliō in suis operibus*: vbi satis ostendisse credimus Instrumentum ad tantum opus perficiendum opportunum non fuisse Angelum, siue Virum omnigena doctrina acquisita excultum; singulariè scientia præditum, sed feminam inualidam, si sexum spectemus, literis destitutam penitus, si educationem attendamus, Deo, eiusque Sanctissimæ Matri sub titulo *Immaculatae Con-*

ceptionis à primis annis Sacram, si statum consideremus, ut hoc medio ineluctabilis pia, prudens authoritas operi conciliaretur: Deus equidem ut plurimum arcana sua prouidentia ad illustriora, suæ Omnipotentia opera commendanda, ea adhibet Instrumenta, quæ in se ipsis considerata improportionata prorsus censemur, ut vel sic virtutis motricis efficacia, quæ per se ipsam ultra, & supra natuam improportionem suos assequatur prætentos effectus, clarius, & lucidiùs elucescat, vt ineluctabilibus fundamentis ubi supra demonstratur,

### OBSERVATIO V. GENERALIS.

Pag. 24. num. 65. super num. eodem 10.

Videlicet, & ideo Persona Verbi Incarnati dixit Discipulis suis in nocte Cenæ: adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò, ad ea tamen portanda, siue recipienda dispositi modò non estis.

- 35 Opponitur præcipue ex hoc loquendi modo Matri de Agreda sequi, quod veritates, quas ipsa in sua historia reserat, de numero illarum esse prætendat, quas Christus Dominus dicere habebat, & non dixit Apostolis, siue in illis contineri, quod subsistere nequit: tūm quia immediate post subiunxit: *Cum venerit Spiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem*. Si igitur omnis veritas Apostolis fuit postmodum à Spiritu Sancto edocta, dum super illos aduenit, edoctæ quoque fuerunt omnes veritates, quas Mater de Agreda sibi reuelatas proponit; asserere itaque, vt assentit, quod ex veritates non fuerunt in principio Ecclesiæ manifestatae, temerarium est, & contrarium dicto illi Christi Ioannis 15. *Omnia quæcumque audii a Patre meo nota feci vobis*; tūm quod non defuerunt in primis sæculis, qui fundati in ejisdem verbis: *adhuc multa habeo vobis dicere* &c. spargere cæperunt quasdam falsas reuelationes, quasi in illis contentas, de quibus S. Augustin. Tract. 98. in Ioann. citatus pag. 25. num. 65., quæ velut apocryphæ declaratae sunt à Gelasio primo. Pluribus alijs discursibus oppositio efformatur ab Authore quartæ Censuræ, vt inferat temeritatem Ven. nostræ Scriptricis in asserendo Mysteria, siue Sacraenta Beatæ Virginis sibi reuelata fuisse, quæ in primitiuâ Ecclesia, immo & in futuri sæculis eðusque erant occulta; Cui tamen, si doctrinam annotationum Authoris adnotat. 4., quæ non potuit eum latere, ut potè ad marg. Operis appositam, percurrisset, plenam satisfactionem inuenisset; ea præterea oppositio coram Sacro Hispaniarum Tribunal Fidei fuit proposita; Visa tamen, & considerata responsione Seraphicæ Religionis, inuenta est minus habens.

- 36 Respondetur verum tamen pagin. qua supra num. 66. usque ad 78. assertam propositionem Altissimi famulam suam alloquentis sanam, & Catholicam esse ex textu, & contextu in sensu genuino intellectis demonstrando: Et propter hoc, siue ad eð (hispanicè y por esto) Persona Verbi Diuini Incarnati dixit Discipulis suis &c. quid est hoc, siue idem, in rigore Sermonis non cadit super Mysteria, quæ Altissimus manifestanda Famula sua reseruauit: non enim dixit propter

*ea Mysteria, sed propter hoc siue idem, quod est referibile ad motuum, de quo immediatè ante erat locutus, ob quod altissima sua Diuina Prouidentia non iudicauit opportunum ea Mysteria in principio Ecclesiae explicitè manifestare, quoniam nimis admodum sublimia, & magnifica sunt, quod ignorantia humana dubium, siue periculum formidinis pati posset, Fidelesque in eis scrutandis, & admirandis detinerentur.*

- 37 Non ergò ex prædictis verbis Altissimi Famulam suam alloquentis in sensu genuino, & pleno intellectu inferri valet continentia, & minus identitas veritatum eidem reuelatarum cum illis, quas Christus Discipulis dicendas habere dixit, & non tunc dixit: sed exemplum suavis Diuinæ suæ prouidentiæ in illuminanda Ecclesia successiuis opportunis incrementis in eo proposuit, quod videlicet sicut tunc temporis primitiæ Ecclesiae propter infantiam Mysteriorum Incarnationis, & Redemptionis, legisque gratiæ, atque Euangeli, quam prius stabilire necesse erat, plura alia, quæ dicenda habebat, & non dixit, sed reseranda, siue sugerenda postmodum à Spiritu Sancto seruauit, ut ipsemet Christus verbis immediatis exposuit: *cum venerit spiritus ille veritatis &c.* Ipsaque S. Mater Ecclesia supponit, & intelligit, dum Patrem Aeternum roget dicens: *Mentes nostras, quæsumus Domine, Paraclytus, qui à te procedit illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.* Ità proportione seruata iuxta sensum genuinum verborum Altissimi per Famulam suam, non omnia Mysteria, Sacraenta magna, & magnifica, quæ fecit ipse Matri suæ, voluit in principio Ecclesiae manifestare, non quia Matris Mysteria cum illis Filij absolute manifestari simul nequirent, ut ipsa ibidem animaduertit, sed quia expediens tunc non fore Sapientia Diuina iudicauit.
- 38 Exemplum hoc perbellè illustratum exhibet doctus Expositor Hieronymus Guebara tom. 2. in Math. obseruat. 15. sect. 1. vbi plurima superesse de Sacratissima Virgine dicenda ex Patribus docet, quærenque cur hæc plura in Ecclesia primitiua non fuerunt manifestata? respondet dicens: *tot, tantaque sunt, adeoque mentis humanæ sinus excedunt, superantque capacitatem, ut quasi militantis Ecclesiae intellectus obrueretur omnino Mysteriorum granditate, gratiarumque sublimitate, quibus affluit Mariæ latissimus animus, si eorum simul cognitio in eam (Ecclesiam) infunderetur: Deus itaque, ne humanæ mentis tenuitas tanto pondere prægrauata velut fatisceretur, & dirumperetur cœlestium nimis gratiarum, quibus Maria ditata est, paulatim ei statuit aperire cognitionem, & sic quædam Ecclesiae exordio reuelauit, ut temporis decursu alia cognoscenda perciperet: nimio enim lumine eius acies perstringeretur, si uniuersarum Mariæ gratiarum radijs illius mentem uno intuitu admirarentur, ad eum sanè modum (notentur rogamus hæc verba) quo Apostolis Diuina Sapientia dixit = abhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.*
- 39 Id exemplum, & paritatem expressius explicans, & exponens subiungit ibidem verba à nobis recitata pag. 31. num. 88. tenoris sequeuntis: *verè cum Mysteria in Maria patrata maiorem viciniam*

eum Diuinitatis, fideique nostræ Sacramentis nanciscantur : : :  
meritò quidem de illis Mysterijs fidei, quorum notitiam, singularum-  
que veritatum ad illam spectantium cognitionem Spiritus Sanctus  
Ecclesiae sue non summatim communicauit, sed sensim illas digessit,  
¶ prò temporis opportunitate distribuit, quo Fidelium pietas de Ma-  
riæ maiestate, & altissimum conceptum gignet, ut cum multa, mi-  
raque de eius gloriae prærogatiis fuerint edita, adhuc plura esse, quo  
Deus occultat, Ecclesiae sue successu temporum manifestanda cre-  
datur.

- 40 Ex hac Doctrina, & exemplo apertissimè constat, nonnisi extorta  
mente Ven. Authoris verba praicta Altissimi narrantis inferri,  
posse continentiam, & minus identitatem veritatum eidem reue-  
latarum cum veritatibus, quas Christus Discipulis dicendas habe-  
re dixit, & non dixit. Sed etiam eo admisso verissimum id esse, ar-  
gumento desumpto ex genuino sensu contextus tam Christi Do-  
mini, quam eius famulæ concluditur pag. 26. num. 69. quæ non  
potestis portare modò: Ecce contextum Christi: non enim (exponit  
Guillelm. Estius) ait Dominus: non potestis portare, sed addit mo-  
dò, significans eos portaturos postea: sed quando? cum venerit spi-  
ritus ille veritatis &c. allocutus est in eis (exponit Dei Famula)  
Mundum uniuersum id est non Discipulos tanquam priuatas Perso-  
nas, sed vt representantes Fideles omnes tam præsentes, quam  
futuros in mundo, & quidem consonè ad SS. Patres, Sacrosque  
Doctores, quorum nonnulli (alijs prætermisis) sub eodem nu-  
mer. 69. adducuntur.
- 41 Hac igitur supposita genuina intelligentia textus, & contextus tam  
verborum Christi, quam eius Famulæ clarè deducitur omnes, &  
singulas veritates, quas Spiritus Sanctus ex tunc promissionis Chri-  
sti successu temporum expressè reuelauit, estque reuelatus ad  
finem usque Mundietiam per priuatas reuelationes factas, & fa-  
ciendas ad Fidelium utilitatem, & ædificationem contentas im-  
plicitè mansisse in verbis illis: adhuc multa habeo vobis dice-  
re: vobis idest fidelibus in vobis representatis ad finem usque  
Mundi futuris. Diximus: etiam per priuatas reuelationes: id quod  
expressè docent inter alios Cardinal. de Lugo de Fide disput. 3.  
num. 7., & Laurea tom. 5. sententiär. disput. 6. num. 102., Sal-  
meron. tract. 96. super eadem verba, Episcopus Paleottus de  
Sindone c. 1. citati, & producunti num. quo supra.
- 42 Si ergò inter multa illa, quæ Christus dicenda habebat, & non di-  
xit, priuatas reuelationes factas, & faciendas à Spiritu Diuino  
successu temporum implicitè contentas mansisse verum est, verum  
pariter erit, vel saltim probabile Mysteria, quæ de B. Virgine  
Author pia Diuina reuelatione (vt piè creditur) edusque occulta  
referat, implicitè contenta mansisse, id quod urgentius adhuc  
concluditur num. 74. supponendo velut certum Christum Domi-  
num, dum Discipulis saepedicta verba dixit, in mente habuisse  
non solum Spiritum Sanctum edocerum, sed etiam suam Sanctissi-  
mam Matrem, per quam velut organum ipse Spiritus Sanctus  
Apostolos, in ipsisque Fideles erat edocerurus, atque plura ex illis  
manifestaturus. Ita præfatus Expositor Guebara in Matth. cap. 1.  
obser-

obseruat. 10. num. 6. expressis verbis num. 74. recensitis ex Ruperto dicente : *vox tua* (B. Virg. alloquitur) *vox est illis Spiritus Sancti* : *vnde meritò Magistra Apostolorum, & Euangelistarum appellatur.*

43 Inde argumentum hoc num. 74. efformatur : si non tantum Spiritus Sanctus edocatur, sed etiam Beatissima Virgo præuisa inter illa multa fuit contenta, quatenus per ipsam velut organum, siue vocem illius erant edocenda, siue explicitè manifestanda, quæ occulta tunc manserunt, si ipse Spiritus Sanctus omnes veritates reuelandas intrà pectoris Sacratum eiusdem B. Virginis reposuit, & conseruauit ut idem inquit Rupertus num. eodem citatus, propria etiam mirabilia opera, & Sacraenta Ecclesiæ Sanctæ temporum decursu aperienda reposuit, & conseruauit : ut enim inquit Richard. à S. Laurentio libr. 12. de laudibus Virgin. Maria gratiam largitur maximè diligentibus se, qua Sacra Scriptura melius de die in diem intelligatur : *Ipsi enim reuelat profunda de tenebris, & cum sit Doctrrix disciplina amicos Dei, & Prophetar, id est sapientes constituit : Ea igitur sunt, quæ ipsa dictante, ut piè creditur, in præsenti historia recensentur.*

44 Argumentum tandem probatum abundè datur pag. 28. num. 73. & sequenti, tūm ex quamplurim SS. Patrum, ac Doctorum Dicitis plures veritates deducentibus ex eisdem Christi Domini verbis, velut in eis contentas, ac de numero illarum, quas ipsæ edocendas à Spiritu Sancto esse assertibus, tūm ex Doctrina reuelata S. Birgittæ lib. 6. cap. 55. & 61. iuxta expositionem Duranti Consalui eruditissima illa Nota, quam facit super eiusdem verba præcipue c. 55., ut etiam illa c. 61. præcitat; cuiusque Doctrina, si conferatur cum obseruata Ven. nostræ Abbatissæ, ad literam quasi ea recitata inuenietur.

45 Neque dictum illud Christi Domini exaduerso adductum : *Omnis quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, oppositum concludit, & minus temerarium esse assertum Ven. Scriptricis : non enim de omni veritate absolute, quam Christus à Patre audiuit, intelligi debet, nec valet, sed de omni illa, quam tunc Apostolos dediscere conueniens erat, ut exponunt Cirillus, Lyra, Maldonatus, modernique Expositores communiter, & expressè Diu. Thomas 1. 2. quæst. 106. art. 4., Barradas homil. 4. lib. 10. cap. 11. pag. 27. num. 71. producti; idque conuincitur ex eiusdem Christi verbis : nam immediate post illa verba : *Omnis quæcumque audiui* : subiunxit : *ad huc multa habeo vobis dicere* : non ergò eousque ab ore eius didicerant Apostoli omnem veritatem, quam audierat à Patre, sed illam dumtaxat, quam eis, & Ecclesiæ prò tunc edocendam iudicauit, ut Estius ubi supra verbis expressis videntis declarat, aliudè nihil edocendum deinceps in Ecclesia à Spiritu Sancto mansisset, quod sine temeritate, ne dicamus errore asseri nequit iuxta dicta pag. 28. num. 72.

46 Exemplum, siue paritatem exaduerso adductam illorum nimirum, qui fundati in verbis illis Christi Domini : *Ad huc multa habeo vobis dicere* : vanas visiones spargebant, quas stultissima præsumptione fixerunt, non nisi injusta præsumptione adducitur, ut indo-

simile inferatur de réuelationibus nostræ Ven. Abbatissæ, alias idem suspicari posset de reuelationibus S. Birgittæ, aliarumque Sanctorum, ut etiam de quamplurimum Sanctorum Patrum, ac Doctorum Dictis, plures veritates ex iisdem verbis deducentibus velut contentas in illis, siue de numero illarum esse afferentium, quas ipse Christus edocendas à Spiritu Sancto promisit, & ratio pro omnibus est: illi namque, de quibus Augustinus loquitur, quarumque visiones Gelasius primus velut apocryphas damnavit, Textu Euangelico abutentes audacias figmentorum suorum, quas maximè humanus sensus exhorret, ut inquit ipse, colorabant, afferentes turpissima sua ex illis veritatibus esse, quas Christus dicere noluit Discipulis, quia non illas tunc portare poterant, quod absit presumere, vel etiam cogitare de Mysterijs, & Sacramentis, quæ Ven. nostra Abbatissa de Sanctissima Dei Genitrice velut contenta implicitè in præfata Christi Sententia recenset.

## O B S E R V A T I O VI.

Pag. 31. num. 29. Super verba num. etiam 10.

Nimirum Mundus non erat dispositus quoad stabilita iam esset lex gratie, & Euangelij, ut induci possent Mysteria, & Fides Matris.

- 47 Opponitur præcipuè, quod his verbis Mater de Agreda aut parem facit fidem Mysteriorum Matris, quæ recenset, fidei Mysteriorum Filij in Ecclesia Catholica iam stabilitæ, aut duas fides edocere videtur, quod salua fide subsistere nequit, cum Paulus ad Ephesios doceat: *Vna fides, unum baptisma.*
- 48 Respondetur pag. eadem num. 80., & quidem prætermissa fusa huic obseruationi satisfactione, quam Author adnotationum Nota 5. exhibet, prætermissa nec non responsione pro parte Seraphicæ Religionis coram Sacro Fidei Tribunalis Hispaniarum exhibita, alienam prorsùs esse à mente Ven. Scriptricis obiectionem ex Dictis de eiusdem Spiritu circà fidem suis Scriptis præstandam palam constare, expressius tamen, si textus & contextus alij, illi præsertim, qui à num. 81. usque ad 84. adducuntur: ex ipsis equidem apertissimè concluditur, quam dispari modo de fide Mysteriorum Filij, ac de fide Mysteriorum Matris, quæ recenset, loquatur: *Catholici* ( ait p. 2. num. 1115. ) *Mysterium, siue Sacramentum Redempcionis agnoscunt, & fatentur eo lucis gradu, quo Sancta Mater Ecclesia fruitur, idest fide Diuina Catholica. Ea vero quæ in hac fide explicita Mysteriorum revelatorum continentur, fide implicita confitentur, quæ opus non fuisset ( animaduertit ) omnia nota facere Mundo à principio, quia non erant necessaria ad salutem.*
- 49 Mysteria vero, quæ de Beatissima Virgine referat, quid accessoriū ad veritates Catholicas, quas Diuina fide confitemur, ibidem appellat, ad quæ admittenda pietatem fidelium, siue piam fidem præuenit, ne assensus pius, & prudens eis difficilis fiat ercentibus, & confitentibus præcipuas Catholicas veritates. Si ergò ea, quæ de Beatissima Virgine eousque occulta, quid acces-

forium ad veritates Catholicas creditas adeò expressè vocat: Mysteria verò Redemptionis quid præcipuum, & principale fide Divina credita, si istorum fidem explicitam, illorum verò implicatam, si ista necessaria simpliciter ad salutem supponit, illa verò opus non fuisse nota facere Mundo à principio afferit. Si ista tandem eo lucis gradu, quo Sancta Mater Ecclesia fruitur, nos confiteri adstruit, non verò illa, sed pia fide dumtaxat, quid clarius loqui potuit prò statuenda equiparantia fidei Mysteriorum Filij iam stabilità à Fide Mysteriorum Matris, quæ referat, præstanta?

50 Sed quoniam tota vis æquiparantia appræhenditur ex eo, quod consecutiū ē immediatè ad fidem Mysteriorum Filij, quam prius stabiliri necesse erat, de fide Mysteriorum Matris introducenda Ven. Author loquitur, non inde inferre licet fidem vnam cum alia æquiuocare, cum adeo expressè mentem suam ex dictis desuper aperiat. Id quod aliás aptissimis exemplis pag. 34. num. 87. & sequenti declaratur. Minusque inferre licet duas fides in sensu Censoris introducere ipsam prætendere contra dictum Apostoli: *Vna Fides, vnum Baptisma*: importunè adductum; loquitur siquidem ipse de Fide Catholica, quæ vna planè est, vnitate desumpta ex vnitate obiecti motui primarij, & habitus supernaturalis infusi Theologici, non autem de fide circa obiecta materialia credibilia, quæ procul dubio tantò multiplex est, quantò multiplicia sunt obiecta credita, vt pariter vnum est Baptismum, quia unus, atque idem est qui baptizat, idest Christus, etsi diuersa sint baptismata ex diuersitate baptizantium, & meritorum iuxta expositionem S. Augustini tract. 6. in Ioann.

51 Ex his facile occurritur cuidam tacitæ obiectioni, siue scrupulo periculi, nempè quod pati possent simplices, & idiotæ, ex modo, quo consecutiū ad fidem Mysteriorum Filij Author pia nostra loquitur de fide Mysteriorum Matris, putantes de vtrisque fide Divina credendis loqui, occurritur inquam ex adeo expressa mente eiusdem, qua vnam fidem ab alia distinguit; vteriusque occurritur, pag. 35. num. 89. & 90., vt videre est.

### O B S E R V A T I O VII.

Pag. 35. num. 91. super verba numero etiam 10.

Neque volo, quod hæc historia, siue descriptio sit opiniones, siue contemplationes, sed veritas certa.

52 Respondetur pag. eadem num. 32., & quoniam nulla ullius momenti qualificationis nota super assertam hanc propositionem in Censuris conspicitur, ultra generalem illam suspicionem, quod nempe Ven. Author eam referens, quod proprium est librorum Canonorum, suis scriptis adscribat, idest velut veritates certas de fide credendas, quæcumque in eis reserat, proponere prætendat, nullam dictis desuper adjicere cogimus responsionem; eam nihilominus assertionem, si Censor notam, quam adnotationem Author Nota 6. ad marginem operis citata, examinasset, immu-

nem

- nem ab omni animaduersione putasset; Ea præterea velut talis à Sacro Fidei Tribunali fuit existimata, modòque conuincitur ex textu, & contextu afferentis, eorumque genuino, & pleno sensu, quo duo apertissimè declarantur, quibus nisi omnis fides pia, prudens humana ei debita denegetur, velut vera probabilitè saltim supponi debent, ipsam scilicet scientiam infusa habuisse de Mysterijs, quæ scribebat, & simùl de opinionibus varijs Authorum circà eorum plura, ut ipsa p. 3. num. 322. expressis verbis fateatur pag. 37. num. 99. productis.
- 53 Sensus igitur genuinus, isque sanus præfatae assertionis hic est: neque volo, quod haec descriptio, siue declaratio vita sue sit opinione, siue contemplationes (verba sunt Altissimi famulam suam priuatiuè alloquens) id est volo ante oculos mortalium Misticam hanc Ciuitatem Refugij proponere, eam describe, ac depinge prout tenitas tua poterit, sed nolo, vitam Beatissimæ Virginis à te describi, ac declarari ex opinionibus, contemplationibus, discursibus aliorum illis adhærendo, immò nec ex tuis meditationibus, siue illationibus, quibus ex scientia tibi infusa, & communicata, vel intelligentia principiorum deducere posses, quæ scribenda tibi præcipio, sed vnicè ex lumine superno ea tibi manifestante, eorumque veritatem certam aperiente: hæc est voluntas mea, noloque quod Mystica hæc Ciuitas Refugij aliter à te describatur.
- 54 Hanc esse genuinam expositionem, legitimamque intelligentiam assertæ propositionis Altissimi ex Testimonij contextualibus pag. 38. à num. 96., usque ad 100. adductis, & videndis liquidò constat, eiusque veritas, & immunitas perspicuè apparet; descriptio equidem, siue declaratio asserta facta non ex opinionibus, vel contemplationibus aliorum Authorum, non ex discursibus, siue conjecturis proprijs, vel alienis, sed vnicè ex Diuina luce reuelante, ac dirigente, ità certa veritas est respectu illius, cui immediate fit reuelatio, sicuti certum est, quidquid Deus reuelat, ac loquitur, etsi respectu illius, cui non immediate, sed mediata illam recipiente, siue narrante proponitur, non ita sit, sed ad summum veritas piè probabilitè credibilis, si piè probabilitè credat præfatam descriptionem à Deo esse reuelatam: sin autem opinatiuè dumtaxat reuelationi assentiatur, opinatiuè quoque Mysterijs reuelatis assentietur.
- 55 Veritas tandem, & immunitas assertæ propositionis exemplis aliarum reuelationum, in quibus similes locutiones leguntur, explanatur, ac persuadetur, ut videre est in Reuelationibus SS. Geltrudis, Ildegaridis, Birgittæ, Catharinæ Seuensis, Magdalena de Pazzis, & Theresiæ, quæ citantur, & referuntur pagin. 39. num. 103. & sequenti, quibus clarissimè constat noluisse Deum, huiusmodi reuelationes, obiectaque illis reuelata fore opiniones, siue contemplationes, discursus, siue conjecturas, sed veritatem certam in se, & respectu ipsarum recipientium, & narrantium, etsi non aliorum ea legentium: sic igitur, & non aliter, nisi extorta Scriptricis mente, accipi debent verba Ven. nostræ Abbatissæ nomine Altissimi loquentis, & quidem mitius, quam aliae Dei Famulæ scripta sua proponentis velut certam veritatem sibi à Deo reue-

reuelatam, qui nec fallere, nec falli, nec opinari, & minus dubitare est capax.

- 56 Ad id tandem, quod in vna ex Censuris dici animaduertimus pagin. 40. num. 105. videlicet: si hec historia erat scribenda absque opinionibus, quare Scriptrix pænitùs incumbit c. 4. & 6. primi Libri Scoti opinioni exponendo Decreta Dei, indèque concludendo, quod, et si Adamus non peccasset, Verbum Diuinum fuisset incarnatum? (omittuntur alia exemplura. Quare, quæ variæ opiniones adnotantur) facile ex dictis occurritur: aliud enim est scribere absque opinionibus ex parte Scribentis, hoc est non seruando ordinem, siue methodum, quem Authores discursu naturali ducti seruant in referendis, propugnandis, vel oppugnandis aliorum sententijs vni, vel alteri potius adhærendo, quem magis probant, & aliud ordinem eiusmodi communem, seclusa reuelatione, obseruando: hoc secundo modo non scripsit Author pia nostra, sed vnicè primo, si quæ obiter, & inexcusabiliter exarauit, super quæ variæ sunt Authorum opiniones, vti ipsa sèpè sepius, & præcipue locis pag. 36. à num. 94. usque ad 100. citatis fatetur, rationes persuasivas adducens.
- 57 Quare præterea (redarguitur) S. Birgitta inter innumera alia scripsit, quod Beatissima Virgo fuit absque peccato originali concepta, tanquam veritatem certam, & non ex opinionibus, siue contemplationibus, sed ex Diuina reuelatione? Quarè S. Maria Magdalena de Pazzis Decreta Diuina mirè explanando, non semel dixit: Diuinum verbum carnem assumpturum, etiamsi Adamus non peccasset? Quarè S. Catharina Senen. tot sententias scripsit de rebus, super quibus variæ sunt opiniones, vti demonstratum fuit pag. 147. num. 299., Positionis principalis. Quarè similiter aliæ Dei Famulæ? & tandem quare S. Thomas, cuius scripta ab eius aseclis lumine superno exarata celebrantur? respondentes ipso, & alij, & hoc ipsum erit responsum nostrum.

### O B S E R V A T I O VIII.

Pag. 40. num. 106. Super verba num. 621. par. 3.

Nempè: *Si quis non crediderit his, quæ scribis, non tibi, sed mihi, meisque verbis iniuriam faciet.*

- 58 Opponitur: aut ea, quæ Author scribit, proponere intendit de fide Diuina credenda, aut sola pietate, siue prudentia humana? si primum? temerarium est planè; si secundum? non percipitur iniuria in B. Virginem, eiusque verba irrogata ab his, qui non crediderint his, quæ Mater de Agreda scribit: non ergò ea verba B. Mariæ sunt, vti ipsa afferit, ac per consequens falsa est reuelatio.
- 59 Respondetur pag. 41. à num. 107. usque ad 115. inclusuè, & præscindendo à modo disiunctivo arguendi nihil concludente, verba Ven. Authoris, vel potius Beatissimæ Virginis in sensu genuino usurpata satisfaciunt. Præmiserat ipsa tam capite, cuius numerus citatur, quam præcedentibus raptus, siue eleuationes iteratas

tas corporeas in Cælum eiusdem Sacratissimæ Virginis, visionesque beatificas, quibus transeunter fruebatur, dum in carne visueret mortali; cumque in cordis secreto profundissimæ humilitatis cogitationibus oppressa quasi hæsitaret, timeretque Discipula, quod mortales his, quæ desuper scribebat, vtpotè raris, & inauditis assensum non præberent, Mater piissima, & Magistra eam alloquens tenerissimis verbis est consolata præcedentibus ad obseruata, quæ ad literam producuntur pag. eadem num. 108. quæque quisquis attentè obseruet, apertè agnoscat non de omnibus, & singulis, quæ Dei Famula in sua historia scribit, assertam propositionem intelligendam, sed de his tantum, quæ tunc scribebat, nimirum de iteratis eleuationibus corporeis Mariæ Virginis in Cælum, deque visionibus beatificis, quibus fruebatur obiter, vt expressè patet tūm ex litera Textus: *Si quis non crediderit his quæ scribis, idest non quæ usque modo scripsisti, deincepsquè scribes, sed quæ modò reseras, tum ex contextualibus illis: An qui ea legerit, quia rara, & inaudita sunt, visiones præcipue beatificas intuitivas iteratas?* ex illis nec non sequentibus: *Si Deus ita potens, & munificus fuit cum cæteris Sanctis, & de nonnullis circumfertur opinio in Ecclesia, quod in carne mortali degentes Diuinitatem viderint, & reuera viderunt, cur, qualiuic fundamento denegandum est mihi, quod alijs, me inferioribus, conceditur?*

60 Mens igitur expressa, sensusque planus assertæ propositionis non de omnibus, & singulis, quæ Ven. Author in sua historia scribit intelligi debet, sed determinatè de eleuationibus corporalibus Mariæ in Cælum, & præcipue de visionibus iteratis beatificis: nàm intelligentia dictorum ex causis est desumenda, iuxta regulam Iuris. Si quis itaque illis assensum non præstiterit, id proueniet ( animaduertit Author pia) *quia ignorat qualis, & quantus sit Deus, qualis & quanta sit eius Sanctissima Parenz,* vel id non satis dignè considerat; qui igitur proinde dictis non crediderit, non Scriptricem narrantem, sed Magistram loquentem, & docentem iniuria quodammodo afficiet,

61 Sed quoniam non ita palam mens, sensusque, de quo diffensu, & iniuria sermo sit, in præsenti apparet, ex alijs contextibus colligendus est, qui supra insinuantur ad conuincendum non alium, quam pium, prudentem assensum à Fidelibus scriptis suis Authorum exquirere præstandum: Iniuria ergo ab eo inferenda, qui huiusmodi assensum assertis eleuationibus, & visionibus iteratis non præstiterit, non de transgressiua alicuius præcepti credere obligantis, sed de opposita pietati tantæ Matri, ac Magistræ loquenti, vt piè creditur, debitæ, venit intelligenda; semel etenim efformato pio prudenti conceptu de veracitate alicuius in loquendo, deque eius locutione, si quis ei, suisque verbis assentiri noluerit, meritò conqueri, dicereque poterit iniuriam sibi fieri, iuxta communem modum loquendi: sin autem de iniuria transgressiua alicuius præcepti sumatur, intelligi debet respectu illius, qui gratis absque ullo fundamento, edque præcisè, quia rara, & inaudita sunt ea beneficia Dei Genitrici concessa, positiuè renuerit assentiri: contra Sententiam illam Apostoli: *Prophetias nolite spernere,*

vim præcepti habentem iuxta expositionem Estij, & aliorum, ex dictis pag. II. num. 30.

- 62 Siue tandem sit Sermo de Iniuria pietati tantum opposita, siue transgressiva præcepti modo exposito, timenda est utique, idque exemplis similium locutionum, immo maioris ponderationis, & rigoris, quæ in alijs reuelationum Libris leguntur, præsertim B. Birgittæ, & Gertudis, quarum verba, eaque perpendenda adducuntur pag. 43. & sequenti, comprobatur, quibus cum, si adnotata conferantur, mitiora sanè esse apparebit, mitiusue iniuriam eius, qui his, quæ determinatè de dictis eleuationibus, & visionibus Author nostra narrat, non crediderit ponderantia, quam dictarum Sanctorum locutiones de omnibus, & singulis suis scriptis, & reuelationibus.



28  
SECVNDA CLASSIS

Sub Litera F.

*De Observationibus super primam  
operis partem.*



Xarmare hucusque curauimus omnes & singulas generales observationes totam historiam concordentes, etsi parum, siue nihil ad finem, siue scopum examinis commissi conducentes, utpote materiam, siue doctrinam non tangentes: modò ad eas, quæ ad punctum hoc præcimum pertinent, diluendas progredimur, si quæ appareant, sed quoniam non eo seruato partium operis ordine, quin confusas, & intermixtas communiter in quatuor censuratum copijs conspicimus, extractas hinc inde singulis partibus, earum numeris aptatas damus, atque iuxta ordinem, & methodum planum quidem omnes & singulas, nulla prætermissa, ad synopsim redactas in response producimus.

O B S E R V A T I O I.

Pag. 68. num. 2. super hæc verba num. 15. introductionis.

Quoniam lux, qua cognoscebam (loquitur de prima historia, quam ex obedientia interim cuiusdam Confessarij in absentia principalis flammis commisit) adeò abundans erat, meaque inopia tam grandis, ut nec lingua, nec termini, nec pennæ velocitas sufficerent, ut totum dicerem, quædam ommisi, quæ noua intelligentia, dispositamque magis me inueniens modè scribam.

- 2 Opponitur, quod falsa sit hæc narratio, non alio fundamento, nisi quod P. Arriola à Postulatore adductus in Positione prius exhibita ait, primæ historiæ transumptum, quod apud Catholicum Regem Philippum IV. remansit, concordans ad apices usque fuisse inventum.
- 3 Respondetur pag. 68. num. 3. præsentis Classis, Dictum nimis rūm Patris Arriolæ non tanti habendum esse, ut inde falsitas narrationis præiactæ colligi valeat: non enim in primis illud protulit velut Testis in Procesu siue Ordinario, siue Apostolico, sed ut Author' historiæ, quam de Rege Anacorita S. Honuphrio in lucem edidit, vti dicitur fol. 4. num. 57., eius itaque Dictum non aliter intelligi debet, quam velut per hyperbolem assertum, quo Authors, vias Sanctorum narrantes, vti solent: asserere igitur historiam secundam nec per apicem à prima discordasse intelligendum est, quoad substantialia Mysteriorum, & gestorum Christi, eiusque Santissimæ Matris, non autem quoad accidentalia, maioremque dispositionem ex parte Scribentis, vti ipsa met se ex pli-

plicat Author verbis adductis, & expressius numer. 16. & 17., quodque palam fieret, si primam historiam flammis ex obedientia non tradidisset, vel transumptum aliquod fideliter transcriptum remansisset. Profecto equidem verificaretur utramque historiam quoad substantiam, immo & quoad ordinem, titulumque Capitulorum, & Doctrinas ex eis resumptas penitus concordasse, et si non quoad accidentalia ex causis supradictis.

- 4 Id quod nonnullis aptissimis exemplis persuadetur pag. 69. num. 41. quibus aptius adiungitur attentis omnibus circumstantijs; librum nimirum illum Hyeremiae, de quo ipse c. 36., & quem bis scripsisse constat, ut & ipsum primo scriptum, dum ad notitiam, manusque Regis Ioachim deuenit, idem confregit, flammisque commisit: sed quoniam Dei voluntas erat, quod ille subsisteret, Hyeremiae præcepit, ut illum iterum conscriberet, ut factum, & ita, quod in denuo scripto nedum quidquid in primo erat conscriptum, fuit appositorum, sed etiam addita sunt plura, quæ in primo erant omessa, ut constat ex cap. citato v. 32. in fine ibi: *Scripsit in eo ex ore Hyeremiae omnes sermones libri, quem combuserat Ioachim Rex Iuda igni, & insuper addidit sermones multò plures quam ante fuerunt.* Superquam Arias Montan. ex Heb. ibi: *Addita sunt ei verba multa similia, id est non alia quoad substantiam, sed similia verba, voces expressiores conceptuum, & sententiarum: & Lyra hic ex veterum Patrum sensu inserta dicens, Vnde benè subditur: additi sunt sermones multò plures, quam antea fuerant, non quod in isto quidquam contineretur, quod non in primo, quod non variat identitatem, & minus concordantiam unius cum alio, sed differentiam tantum accidentalem superaddit:* Ecce exemplum quasi identicum, aptissimum ad saluandam propositionem assertam, concordantiamque utriusque historie ad apicem usque quoad substantiam iuxta exagerationem hyperbolicam Patris Arriolæ, innegabileque factum miraculosum quippe.

## O B S E R V A T I O II.

Pag. 69. num. 5. super verba num. 95. historie.

Quibus Ven. Author ad literam exponens c. 12. Apocalip. asserit prælium illud magnum S. Michaelis cum Dracone, de quo S. Ioan. ibi: *Factum fuisse immediatè post creationem Angelorum.*

- 5 Opponitur, id non subsistere, quoniam S. Gregor. Magnus homil. 34. in Euangelia prælium istud euenturum in fine Mundi statuit dicens: *In fine Mundi in sua virtute relinquetur extremo supplicio perimendus cum Michael Arcangelus præliaturus esse peribetur, sicut dicitur Ioan. 12. factum est prælium, ubi etiam Ecclesia sentire videtur in Officio Diuino, quod in festo S. Michaelis decantat.*

- 6 Respondetur pag. 69. num. 7. Prælium præfatum in primo instanti post creationem Angelorum nedum Ven. Authorem in sensu literali, at quamplures Sacr. Expositores inter alios num. eodem citati, fuisse factum adstruunt. Nec S. Gregor. exaduersò adductus literali huic intelligentiæ aduersatur, immò potius pro ea stare ex eius-

eiudem verborum contextu clarè colligitur ibi : *Vnde antiquus ille hostis* : Draconem declarauit antiquum hostem, ex quo cum Michael prælium, cum sequacibus iniuit; quodque S. Ecclesia ipsa insinuat verbis illis Hymni : *Draconis hic dirum caput in ima pellit Tartara, hostemque cum rebellibus cælesti ab arce fulminat* : Prælium igitur istud iuxta Gregorij, & Ecclesiæ mentem factum est procul dubio, dum Draco cum sequacibus projectus afferatur in Tartara? sed quando? nūm in fine Mundi projectus expectatur, & non antea? absit hoc cogitare, sed supponendum potius velut de fide fuisse ab antiquo projectum, vt̄ etiam colligitur ex clausula illa S. Gregorij, *extremo supplicio perimendus*, qua supponit supplicium projectionis infictum iam euenisse, & in fine Mundi renouandum, & confirmandum, dum non iam exire permettetur Draco.

- 7 Sed etiam admissò, quod de mente Gregorij, & Ecclesiæ ex ipso prælium etiam in sensu literali Sacri Textus futurum afferatur in fine Mundi, quid inde? excludit ne, vel negat, quod factum fuerit ab initio? non sanè, nec ullus Catholicus excludere, vel negare sine grauissima nota valet. Sed utrumque facile conciliatur iuxta concordem Doctrinam SS. Patrum, Sacrorumque Expositorum statuentium, vnum, eundemque Sacrae Scripturæ Textum plures etiam literales sensus admittere, vt̄ ipsa quoquè Ven. Author expressis verbis docet, & persuadet pagin. 3. num. 14. non ergò (concluditur pag. 70. num. 9. responsionis) prælium illud determinatè priuatiè intelligi valet, nec potest euenturum in fine Mundi, sed cumulatiè, siue inclusiè de facto iam ab initio, & simul euenturo in fine Mundi: Inimo literalis Ven. Authoris expositio de iam facto ab initio attento textu, & contextu Ioannis illud narrantis, conformior, saniorque est, contrariaque restrictiua, siue exclusiua iuxta mentem Censoris, vt̄ appareat, parum tuta, nè aliter loquamur, videtur, sicut parum tutum fore, & erroneum, si quis ex eo quod Iudicium vniuersale extrema die fit faciendum, vt̄ fides docet, particulare in vnius cuiusque morte fieri negaret, vel excluderet.

### O B S E R V A T I O III.

Pag. 70. num. 10. super verba num. 111. & seq.

Quibus literam Textus Apocalip. exponens prosecuta Ven. Abbatia afferit: *vox illa, quam audituit Iohannes in Cælo: nunc facta est salus Sc.* vox fuit Personæ Filij nomine humanitatis, quam erat assumpturus, Patrem æternum interpellantis, quod fieret salus Sc. & num. 112. vox hæc fuit prima, quam Verbum Diuinum nomine humanitatis coram Sanctissimæ Trinitatis Throno interposuit, & Pater iuxta nostrum modum concipiendi cum Sanctissimis Personis contulit.

- 8 Opponitur, non quod Doctrina præicta sit contra fidem, vel bonos mores, vel contra Doctrinam in Ecclesia communiter receptam, sed vnicè, quod iste modus loquendi sit inordinatus, & impro prius, quia introducit Persona Verbi, vt Verbum est, & si nomine

mine humanitatis assumendæ Patrem Æternum interpellantis; Introducitur præterea ipse Pater petitionem illam conferens cum alijs Diuinis Personis, inter quas non datur conferentia, consilium, siue consistorium; quandoquidem in Diuinis omnia sint unum, vbi non obuiat relationis oppositio, omnesque Diuinæ Personæ habent idem intelligere, velle, & operari, quin locum habeat expositione illa: *iuxta nostrum modum consipiendi*, quia cum libri isti ut plurimum legantur à simplicibus, & idiotis incapacibus huiusmodi Theologicarum expositionum, timeri poterit, quod debili ipsorum phantasia extenuata concipient in Diuinis actiones ad extra distinctas, ac per consequens hæresim incurvant audientes consultationem, consilium, Consistorium inter idem intelligere, velle, & operari ad extra habentes.

- 9 Respondetur pag. 71. num. 12. usque ad 31. verbis Ven. Authoris præuentibus, quorum Textus, & Contextus genuinus sensus si obseruetur, propositiones assertæ nedum immunes ab omni Censura, sed sanissimas, Catholicas, Sacris Concilijs, Doctoribus, ac Theologis consonas esse ibidem conuincitur: quantum igitur ad primam, quod videlicet vox illa, quam audisse in Cœlo Ioann. asserit, vox fuit Verbi Diuni, vt Verbum est, & si nomine humanitatis, violentissima est intelligentia exaduerso: Non enim Author pia statuit, fuisse vocem Verbi, idest vt Persona est, suppositans naturam Diuinam, sed Verbi humanati in mente Diuina obiectiuè præsentis post præuisum Adæ peccatum in forma passibili venturi præuisi, vt in terminis Textus ipse ex hispanico in latinum versus, & adductus num. 17. per se declarat: Dum itaque Author Ven. adstruit, quod Persona Verbi nomine humanitatis Patrem Æternum rogauit, fieret salus Gc. sensus planus est, quod intercessit non quatenus Deus, sed quatenus homo futurus absolute in mente Diuina obiectiuè præsens, siue præuisus. Idque concluditur verbis eiusdem productis pag. 72. num. 13., & 14., atque ratione Theologica, Catholica necnon veritate roboratur num. 73. tum ex Paulo ad Roman. 3. v. 24., & ad Ephes. 1. tum ex Concilio Sacris Mileuitano, Arausicanoo, & Tridentino, tum ex concordi Theologorum sententia ex iisdem fontibus statuentium Diuinum Verbum, hominem futurum præuisum, & præsens obiectiuè in mente Diuina Dona gratiæ meruisse Angelis, & hominibus, ac per consequens pro omnibus intercessisse nomine humanitatis Patrem Æternum, merita sua ei exhibendo, siue representando, vt ipsa Ven. Author eam intercessionem exponit expressis verbis p. 2. num. 126. ad vnguem recitatis pag. 74. num. 21.
- 10 Notandum verò valde meritorum Christi ab ætero exhibitionem Authorem piam petitionem appellare non in rigore, sed quandam quasi petitionem, idque consequenter ad expositionem num. 111. citati, ibi: *Fuit quædam quasi petitio ante Thronum Trinitatis*: & clarius ( si fieri potest ) eadem par. 2. n. 1115. verbis relatis pag. eadem n. 23., quibus quoniam in progressu operis non semel dixerat Diuinum Verbum humanatum intercessisse, siue hoc vel illud rogasse, Lectores præuenit, ac monet tales actiones non esse tribuendas Verbo, vt Verbum est, siue secundum naturam, voluntatemque Diuinam, qua æqualis est Patri, sed secundum humanam, qua minor

minor est Patre, quæ sola verba mentis sue explanatoria circà intercessionem, siue quasi petitionem Diuini Verbi nomine humanitatis Patri exhibitam, sufficiunt procul dubio ad omnem improprietatem, & inordinationem existimatam præcludendam. Præcluditurque præterea testimonio illo Pauli ad Roman. 8. v. 2. *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitis inenarrabilibus*, quod et si maiorem improprietatem habere videatur, Sacri Doctores in sensu Catholico exponunt, saluant, & propugnant ab Hæreticis iniuriousum Spiritui Sancto pro hominibus postulate putantibus.

- 11 Ia confirmationem tandem assertæ Doctrinæ adducentur pag. 75. num. 26. verba Sanctæ Mariæ Magdalene de Pazzis, quibus similes locutiones, ac nostræ Ven. Authoris immò non ita facile intelligibiles recitantur libr. 4. cap. 9., vt videre est, quæ tamen ut reuelata proponuntur, & ut talia legi in Ecclesia Sancta permittuntur. Cur ergò non verba nostræ Ven. Abbatissæ petitionem non quidem absolutè, sed restrictiè *quandam quasi narratio* absque nota improprietatis, & inordinationis permitti, ac legi non possunt? Possunt quippe, & debent, utpote sanissima, & Catholica, eisdemque aduersari absque graui nota permitti haud valet.
- 12 Quantum ad secundam propositionem videlicet: *quam petitionem iuxta nostrum modum concipiendi Pater Æternus contulit cum Diuinis Personis*: sola ipsa restrictio ( quidquid Censor dicat ) sufficit ad saluandam impunè inter diuinas Personas consultationem, consilium, consistorium, quin inde quis concipere valeat actiones ad extra distinctas, neque hunc modum loquendi obiurgare; est enim consuetus in Sacris Scripturis, ut SS. Patres pag. 76. numer. 28. citati animaduertunt, inter quos S. Isidorus libr. 1. Sententiar. vbi regulam plurimum notandam præscribit, qua Deus ut solet in Sacris Scripturis nostræ locutionis morem gerens, seque clementer inservians. Idque nonnullis exemplis in modo loquendi pag. eadem num. 29. adductis comprobatur: non ergò consultatio, consilium, & consistorium, ut nec sedes, siue Thronus in Diuinis negari valet ab ullo, nisi cuius phantasia extenuata, siue laesa sit ( verba sunt Censoris contra nostram Ven. Abbatissam ) & minus ex eiusdem modo loquendi concipere actiones distinctas ad extra in Diuinis, nec timere, siue inferre periculum hæresis inter Personas simplices, & idiotas ( à quibus libros præsentes, ut etiam ex aduerso libera inconsiderata facilitate, ne aliter loquamur ) ut plurimum legi dicitur, putantes ex præfato modo loquendi actiones ad extra distinctas in Diuinis, dum ipsa Author apertissimis testimonij pag. 77. num. 30., & duobus sequentibus, ut videre est, recensitis, Sacrosanctum Trinitatis mysterium ad miraculum explanans, operationes ad extra indiuinas profus inter Diuinas Personas statuat.

O B S E R V A T I O IV.

Pag. 78. num. 33. super verba num. etiam 112.

Videlicet: Diuinum Consistorium, siue Consilium SSmae Trinitatis dixit: Unigenitus noster hanc Doctrinam praedicabit: Et num. 113. Porro ut omnibus suppetat exemplum, & gratia superabundans proueniat, si proficere velint, descendat Filius noster in forma passibili ad homines redimendos.

- 13 Opponitur: Si huius primæ propositionis sensus sit, quod de Consilio Sanctissimæ Trinitatis Pater illam dixit, Catholica foret, verum vi illius, ipsa Trinitas est, quæ loquitur, & in hoc sensu male sonat; non enim Verbum Diuinum dici potest Filius Sanctissimæ Trinitatis, vt pote à solo Patre genitum, & idem dicendum de secunda propositione, addique potest, quod utraque ea propositio maiores rumores causare potest, quam illa famosa: *vñus de Trinitate passus est.*
- 14 Respondeatur pag. 78. num. 35. ex dictis art. 1. quartæ Classis Positionis principalis, vbi difficultati propositæ satisfecisse credimus, atque utramque propositionem in dupli adnotato sensu immunem ab omni censura, atque in sana Theologia defensibilem ostendimus, hoc est siue sumatur, vt dicta à solo Patre, siue à sola Sanctissima Trinitate, quin inde rumor ullus inter Theologos orihi posse apprehendatur, vt nec ex illa: *vñus de Trinitate passus est*: ea namque velut vera Theologicè defensibilis est non minus ac ista: *vñus de Trinitate factus est homo*: hoc argumento Theologico Verbum Diuinum factum est homo, sed Verbum Diuinum est unum de Trinitate: ergo vñus de Trinitate factus est homo: hoc sufficiat ad sedandum rumorem à Censore apprehensum.

O B S E R V A T I O V.

Pag. 78. num. 36. super verba num. 119.

Quibus asseritur Ministros Incarnationis fuisse Sanctos Michaelem, & Gabrielem.

- 15 Opponitur, quod altum sit desuper silentium in Sacra Scriptura nos docente Ministrum, siue Nuncium Incarnationis fuisse S. Gabrialem.
- 16 Respondeatur pag. 79. num. 38. argumentum hoc ut potè negatiuum nihil probare contra noua præsertim asserta ex diuina reuelatione ad effectum ea permittendi, alioquin omnes fere reuelationes hucusque factæ, deincepsque faciendæ in Ecclesia permisæ respulerent, quod nisi ab Hereticis omnem prorsus nouam reuelationem, nihilue nouum absolute, nisi quod ex Sacra Scriptura constat, admittentibus, asseri nequit, sed requiritur positium ali quod fundamentum concludens opponi Sacrae Scripturæ, vel doctrinæ communæ Ecclesiæ, siue uniformi SS. Patrum Sententiæ expressæ, vel illatiuè saltim, vt statutum manet à principio pag. 5. num. 7.

- 17 Deinde ex quo Sacer Textus doceat S. Gabrielem Ministrum Nuncium fuisse Incarnationis, non infertur, nec inferri valet exclusio. S. Michaelis ad eiusdem Mysterij executionem peractam, immo quodammodo interuenisse velut nimis credibile persuadetur pag. eadem num. 39. non leibus fundamentis videndis, si præterea verba Ven. Authoris exaduersò notata circumcisa, tamen attente obseruentur, immunia ab omni censura apparebunt. Verba sunt ista, quibus exponens vers. 12. capituli prædictati Apocal. propterea lætentur Cœli, & qui habitans in eis. Motiuia, cur Cœli, eorumque habitatores ob ea mysteria, quæ numeris præcedentibus recensuerat, lætari, & collætari debeant, exponit, ac declarat, quibus narratis concludit dicens: *lætetur præ alijs S. Michael Militia Cœlestis Dux, qui gloriam Altissimi, & venerandorum eius Mysteriorum Defensor, Minister Incarnationis Verbi, & Testis peculiaris omnium eius effectuum ad finem usque adhæsit: Hæc inquam attente persensa innoxia, & credibilia sunt: non enim Author pia afferit S. Michael Nuncium à Deo missum fuisse, qui annunciat Mariæ Incarnationem, sed Ministru propugnatorem, ac Testem Singularem peractam Incarnationis, eiusque effectuum omnium ad finem usque futurum, quod procul dubio nimis credibile esse, haud negari valet, vel saltim contra fidem, bonos mores, vel contra Doctrinam Ecclesie esse, haud probatur, siue probari potest.*

### O B S E R V A T I O VI.

Pag. 80. num. 43. super verba num. 117.

- 18 Videlicet: *Inde ortum, siue originem trahunt, & Patris eterni sunt successores, siue Vicarij, Pontifices, & Prælati.*
- 18 Respondetur pag. eadem num. 44. usque ad 49.; Sed quoniam nulla super hanc propositionem difficultas soluenda adducitur, quam sola eius eius recitatio etiam circumcisa, nonque obseruato contextu antecedenti, unde Ven. Scriptrix illam deducit, nullam pariter satisfactionem adhibere teneri credimus, eò & maximè si obseruetur responsio, quam art. 4. Positionis principalis clas. 4. sub titulo de nobilissima origine Prælatorum dedimus, ibi enim ex adnotacion. Authore super prim. part. adnotat. 19. adeo copiosa Authoritatum, & rationum congerie assertio prædicta extat elucidata, ut quisquis eam percurrat, sanam proorsus, ne dicamus verissimam, & innegabilem censebit, & præcipue, si sensum planum, & genuinum contextus tam antecedentis, quam consequentis perpendat.
- 19 Numero equidem 116. exponens Dei Famula librum illum, qui Apocalip. 5. sigillis septem clausus describitur, hæc à nobis pagin. 80. num. 46. recitata ad Synopsim redacta, scribit: *Continebatur in illo libro quidquid Sanctissima Trinitas post præuisum Angelorum lapsum decreuerat ad Incarnationem pertinens, atque legem gratiarum, concessaque fuit Verbo Humanato potestas, ut eam velut Summus Sacerdos, & Pontifex Sanctus, donaque gratiarum communicaret Apostolis, cunctisque Sacerdotibus, & Ministris Ecclesie: Ex his,* quæ

quæ sine iniuria notoria Catholicae veritatis contradici valent , Author pia num. 117. prosecuta assertam propositionem subinfert num. 48. recitatam , vt iacet , dicens : *hoc fuit mysterium principium legis Euangelicae , & in illo Diuino Throno , secretissimoque consistorio statutum , atque scriptum in mente Diuina fuit , fore scribendos in libro vitae quotquot eam legem obseruarent , hinc principium habuit , & à Patre Aeterno sunt successores , & velut Vicarij , Pontifices , & Prælati : cuius ultimæ clausula sensus planus est , non quod Patris Aeterni successores velut Vicarij , sint Pontifices , & Prelati Ecclesie , sed quod a Patre Aeterno tanquam ab origine , siue principio fontali , à quo omne datum optimum , & omne donum , perfectum descendit , vt S. Ioann. Epistola Canonica ait : à quo omnis paternitas in Cœlis , & in Terra est , ubi Paul. ad Hæbr. 3. , à quo inquam Pontifices , & Prælati habent esse successores , siue Vicarios Christi , cui lineis antecedentibus Scriptrix dixerat fuisse à Patre concessam potestatem , ut eam velut Summus Sacerdos , & Pontifex Sanctus Apostolis , cæterisque Ecclesie Ministris communicaret .*

20 Verba itaque illa hispanica : *Del Padre son successores , o como Vicarios : latinè versa non in casu genitivo sunt sumenda , id est Patris aeterni , sed in ablativo , nempe : à Patre aeterno ; cui omnis Potestas tribuitur , & à quo velut à fontali origine Pontifices , & Prælati habent esse successores , siue Vicarios Christi , utpote à quo eam potestatem immediatè recipiunt , & eo mediante à Patre Aeterno , qui ut eam illis communicaret , velut Summo Sacerdoti , & Pontifici dedit , combinatis igitur verbis Ven. scriptricis prædictis , sensus legitimus , isque planus eorum est : Pater aeternus nimil , à quo omnis potestas , & paternitas in Cœlis , & in Terra prouenit , siue descendit , superioritatem , autoritatem , & potestatem omnem Christo dedit , ut eam velut Summus Sacerdos & Pontifex constitutus à Patre , Summis Pontificibus , Prælatis , & Ministris Ecclesie Sanctæ suæ communicaret , eamque communicauit primò S. Petro , & successuè communicat Summis Pontificibus , hisque mediantibus reliquis Prælatis , ac Ministris , ut fides docet .*

21 Considerato itaque graduallī descensu huius potestatis à Patre Aeterno velut à fontali origine immediatè in Christum descendit , à Christo in Summos Pontifices deriuatur , ab istis ad cæteros Prælatos , & ministros defluit , uti è contra considerato graduallī eiusdem potestatis ascensu , sic intelligendus est à Prælatis , & Ministris inferioribus Ecclesie ad Summos Pontifices , ab istis ad Christum , & à Christo ad Patrem , quem ascensum de potestate in potestatem ipsa Ven. Author exponit , ac persuadet , ubi supra verbis illis Christi Domini : *qui vos audit , me audit , qui autem vos spernit , spernit eum , qui memisit : concludimus itaque & nos : qui assertam propositionem in sensu adeo plano , & sano spernit , Catholicam Doctrinam spernere videtur .*

## O B S E R V A T I O VII.

Pag. 82. num. 50. super verba num. 137.

Quibus asseritur : *Adæ creationem, & Euæ formationem fuisse à Deo celatam Luciferum.*

- 22 Opponitur id falsum esse ? sed quare ? : quoniam ( arguitur ) Angelus scientia naturali cognovit Euam ex Adami costa fuisse formata , non Adamum ex Eua : recursus præterea ad occultationem fruolus est ; ad quid enim in uno instanti occultatio illius deserueret, quod in alio celatum non fuit : rursus quomodo Lucifer suspiciari potuit Euam fuisse Mariam , & Adamum Verbum Incarnatum , vt̄ ipsa Mater de Agreda supponit , cum vultus Christi , & Mariæ non illi notus tunc potuerit esse ? non per scientiam naturalem , qui futura non cognovit ; non per reuelationem , cum facies Christi , nec Mariæ fuerit illi à Deo manifestata .
- 23 Respondetur pag. eadem num. 52. , assertam propositionem adeò veram esse , vt̄ oppositum ab aliqua Censura ( salua debitâ reuerentia ) eximi valeat , idque ex textu , & contextu verborum scribentis num. 53. , & 54. recensitis , concluditur .
- 24 In primis statuit Adamum fuisse à Deo quantum ad corpus , & animam ita similem corpori , & Animæ Christi futuri , vt̄ vix ullum discrimen appareret , vt̄ etiam Euam ita similem Mariæ præcognitæ , vt̄ ipsius personam , & factiones imitaretur . Fuerunt etenim duo exemplaria , ad quorum instar vterque primus parens quantum ad hoc fuit efformatus , idque adeo commune est inter Santos Patres , Doctoresque Sacros , vt̄ eorum Authoritates adducere sit superfluum ; Statuit deinde Luciferum non cognouisse Adami creationem , nec Euæ formationem , vt̄ cætera naturalia cognovit in eodem , tunc quod fuerunt condita , quia noluit Deus illi manifestare opus creationis Viri , & Mulieris formationem ex illius costa , quodusque ambo simul conuenerunt : quando ( prosequitur Author pia ) Lucifer vidit admirabilem humanæ naturæ compositionem super cuncta , quæ Deus creauerat , corporum , inimicorumque Adami , & Euæ pulchritudinem , amorem nec non , quo erga illos Dominus propendebat , omnis Creaturæ Dominos illos constituens , ira tunc repletus , inuidiaque agitatus fuit , vt̄ eos de medio tolleret .
- 25 Hic ( ait num. 138. ) hallucinatus est Lucifer ; quia Dominus non sine Mysterio à principio illi manifestauit Verbum in utero Mariæ hominem factum futurum , non tamen illi declarauit , nec quando , nec quomodo , eaque propter creationem Adami , & Euæ formationem illi celauit , vt̄ ex tunc pati inciperet ignorantiam huius mysterij , temporisque Incarnationis : , & quoniam tota eius vigilantia , ira , conatusque erat contra Christum , & Mariam eius Matrem , iam ei manifestatos , suspicatus est : an Adamus ex Eua fuisset ortus , ipsaque illius Mater , atque ille Verbum homo factum .
- 26 Hæc Ven. Author , quibus & veritas assertæ propositionis , & insubstancialia fundamentorum exaduersò dignoscitur ; Constat siquidem , quod etsi Lucifer scientia naturali cognoscere potuit Adami creationem , & Euæ formationem , Dominus tamen non sine mysterio

sterio noluit ei manifestare à principio, sed celatum id habuit per aliquod temporis spatium, quòdusque utrumque simul conuenisse vidit: quare autem, vel quo mysterio illud occultauit, siue ad quid occultatio illa deseruiret? ultima clausula scriptricis aperte declarat, ut nimis ex tunc protinus pati inciperet ignorantiam Mysterij Incarnationis, sive hallucinatus suspicaretur, an Adamus esset Verbum homo factum, & Eua Mater illius, hallucinatione, sive suspicione proueniente ex eo, quod Dominus à principio Creationis Angelorum manifestauit eis Verbum hominem factum futurum ex Virgine Maria, præcepto cunctis iniuncto, ut ipsum adorarent, vt fides docet, eiusque Virginem Matrem omnium superiorem agnoscerent; Cum itaque alijs Lucifer agnouisset admirabilem naturæ humanæ in primis Parentibus compositionem corporum, animarumque pulchritudinem, ac tandem Adamum similem absque ullo discrimine Christo iam sibi exhibito, Euamque pariter Mariæ Matri manifestatæ ita similem, ut illius Personam, & factiones imitaretur, inde orta fuit hallucinatio, & suspicio præfata, tuncque impleta fuit prophetia illa David Psalm. 103. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.*

- 27 Hec ergò nedum immunia sunt à nota falsitatis, sed verissima, & consona Diuinæ Prudentiæ, qua Mysterium Incarnationis Diuini Verbi ex Matre Virgine celatum Diabolo semper habere voluit, vt & eius conceptum, atque partum, quoad usque in Crucem consumata fuit Redemptio. De cætero discursus exaduerso efformatos liberos prorsùs insubstantes, immò à censura non immunes ex prædicta narratione vera conuincitur: illa præsertim illatio, quod Lucifer suspicari nequiuuit, quod Adamus esset Verbum homo futurum factum, & Eua Maria Mater?, cum neutrius vultus notus tunc ei esse potuit, nec etiam per reuelationem, notoriè aduersari Catholice veritati videtur reuelationis, sive manifestationis Christi in carne ex Matre Virgine Maria venturi cunctis Angelis à principio ipsorum creationis factæ, iuxta supra de Fide dicta.

### O B S E R V A T I O VIII.

Pag. 84. num. 58. super verba num. 180.

*Quibus afferitur Angelum Gabrielem de mandato Domini nunciasse S. Annæ qualiter esset electa in Matrem illius, quæ Unigenitum Patris conciperet, ipsamque appellaret Mariam, ea tamen conditione, quod nulli id aperiret. Idem fuit manifestatum S. Ioachimo obscurè tamen prò tunc, dum morti iam esset vicinus.*

- 28 Opponitur maiorem indè prærogatiuam scriptricem concedere SS. Ioachimo, & Annæ, quā eidem Sanctissimæ Virgini, quæ ad annuncium S. Gabrielis velut de re improvisa fuit turbata, ut ait S. Lucas.
- 29 Respondetur pag. 85. num. 60. non sinè admiratione, quod adeo extranea oppositio contrà propositionem adeo piam alicui occurrerit; Ea etenim sola anterioritas reuelationis ab Angelo SS. Ioachimo, & Annæ appetet, sed quid inde? quid quod Patriarchæ, & Pro-

& Prophetæ, vti Isayas, Dauid, & alij lumine propheticō irradiati Mariam Virginem futuram Dei Matrem agnoueriat, priusquam ipsa in mundum veniret? quid quod ipsemet Angelus prius id intelligeret, quām Mariæ nunciaret? quid denique quod idem prius intelligeret nomen Iesu imponendum, quām Mariæ Parentibus nunciarei? nihil sanè Mariæ, & Iesu prærogatiæ præiudicantis, immo potius exaltans, quod priusquam dignitatem Matri, nomenque Iesu filio nascituro Maria intelligeret; vtrumque iam Deus prænunciauerat.

## O B S E R V A T I O IX.

Pag. 85. num. 61. super verba num. 201.

*Quibus dicitur in custodiam Beatissimæ Virginis fuisse à Deo destinatos centum Angelos ex unoquoque Choro.*

- 30 Opponitur: si Mater de Agreda dixisset eos Angelos fuisse destinatos titulo honoris, posset admitti, afferere tamen fuisse designatos in custodiam, & contra Tartareos exercitus, & potestates, vt inquit ipsa, magna indiget consideratione: Näm quantò magis quis gratia, & donis Spiritus Sancti abundat, minoris Angelorum custodiæ indiget contra Tartareos exercitus, ad modum quo Ciuitas quantò vel ob situm, vel ob industriam fortior est, tanto minori præsidio opus habet. Eaque propter Christus nullum Angelum Custodem habuit. Cùm igitur B. Virgo plena esset gratia, Donisque Spiritus Sancti, necessaria ei non fuit Angelorum Custodia, & si concedatur unus, isque superior quocunque personæ alteri designato attenta eius maiori dignitate; habuisse præterea opus tot Angelorum Custodia, inditum debilitatis videtur.
- 31 Respondetur pag. eadem num. 63. vsque ad 66., & quidem non minori admiratione, quod huiusmodi inter nouas difficultates, quas diluendas superesse statutum est, alicui occurrerit oppositio, nullius reuera momenti, vt potè nullo positivo fundamento ianixa, sed mcrè negatiuo, quod videlicet necessaria non fuerit tantæ multitudinis Angelorum designatio in custodiam Virginis, sed sat erat unus, isque dignior ad distinctionem Christi, qui nullum habuit Angelum Custodem, nec paritates adductæ ullius pariter sunt momenti. Non prima de Ciuitate, quin potius inde colligitur mysticam Dei Ciuitatem, contra quam Tartareae Potestates bella ab initio parabant, iugiterque inferebant maiori Angelorum præsidio habuisse opus, vt fortissimis de Israel munita Dæmones gloriosius deuinceret, eoque gloriosius, quantò eius natura, & sexus erat inferior: licet enim plena esset gratia, Donis, ac Virtutibus Spiritus Sancti, ad bella cum illis aggredienda relinquebatur in statu communi, siue exercitio Virtutum, atque gratiæ, vt ipsa Ven. Author sape sèpius animaduertit.
- 32 Non item discrimin inter Virginem Matrem, & Christum, qui nullum Angelum Custodem habuisse supponitur; sed prætermittitur, exinde enim, si vim aliquam haberet, sequeretur, quod nullo Angelo etiam superiori Maria in custodiam opus habuisset, vt eam de-

fenderet, utpote quæ gratia, Donisque Spiritus Sancti plena erat, eadem plenitudine, qua Christus, quamquam aliter, ut dicit Santos Hieronymus. Si præterea SS. Patres, Doctoresque Mariani, quorum nonnulli producuntur art. 10. secundæ classis Positionis prioris obseruentur, oppositio præsens non parum à veritate distans apprehendetur; ibi equidem non unum dumtaxat Angelum Custodem, sed plures, pluresque ipsorum Reginæ destinatos ad statuisse demonstratur, ex piissima Sententia, & vulgatissima non tantum inter ipsos, & in primis contemplationi deditos, sed & inter SS. Patres, Marianosque Doctores id deducentes ex Sacris paginis, quorum etiam aliquos in præsenti Positione producimus pag. 88. num. 64.

### O B S E R V A T I O X.

Pag. 88. num. 64. *super verba num. 203.*

Quibus Mater de Agreda admittit Angelos Mariæ Custodes ex omnibus tribubus, Hierarchijs, & cunctis ordinibus.

- 33 Opponitur id esse contra Diu. Dyonis. Areopagitam, & S. Gregorium, quos sequitur S. Thomas, Theologique communiter assertentes nunquam superiores Spiritus primæ Hierarchiæ, immo nec secundæ Dominationes videlicet à Deo mitti in exteriora Ministeria, sed semper ex inferiori, & infimo Choro. Scio [ prosequitur Censor] nonnullos aliter sentire, inter quos Illustrissimus Sarnelli, quo tamen fundamento aliorum iudicio reliquo.
- 34 Respondetur pag. eadem num. 69. Angelos nimirum cuiuscumque Hierarchiæ etiam supremæ in exteriora ministeria quandoque à Deo missos fuisse non solum Illustrissimus Sarnelli, sed & nonnulli alij, quos suppresso nomine Obseruator citat, adstruunt, quod sufficit, ut asserta propositio immunis ab omni censoria virgula censeatur: propositio namque probabilis, qualis est præsens etiam iuxta Censorem utpote à nonnullis Authoribus propugnata, innoxia, invulnerabilisque est, immo potius eius oppugnatio obnoxia est Censuræ iuxta communem piorum Doctorum, ac Theologorum Sententiam, qui menti Summorum Pontificum, præsertim Sixti IV., Pij V., Gregorij XV., & Innocentij XI. inhærentes & græferunt, acriterque inuehuntur in eos, qui aliorum probabiles opiniones, cuiuscumque generis, vel materiæ sint, animaduertunt, & præcipue in eos, qui non tantum opiniones probabiles, sed etiam earum Authores, ac Defensores verbis iniuriiosis calumniantur.
- 35 Placuit hanc Doctrinam communem adiungere non tam pro præsenti obseruatione, quam pro alijs pluribus, quibus piæ probabiles propositiones Ven. Authoris in Censuram vocantur, eius personam, & famam Sanctitatis Vitæ infectando, ut ex eis adducendis ex quarta præsertim Censura patebit, quod ut dictum est, sufficit, ut asserta propositio, aliquæ quæcumque eius generis immunes ab omni Theologica Censura existimentur.
- 36 Ultra quam quod eam impugnari non posse sine aliqua nota videtur;

*Secunda Clavis:*

40

constat namque tum ex Sacro Textu ad Isay: vnum ex Seraphinis, qui ex supra Hierarchia sunt, missum fuisse, ut eius labia forcipe purificaret, tum ex Daniel. 10. vnum ex primis Principibus, qui adstant ante Deum ad exterius ministerium fuisse missum, tum ex Sacris Doctoribus id ex Sacris paginis deducentibus, ex illis præcipue Canticor. En lectulum Salomonis sexaginta fortis ambient ex fortibus Israel. Super quæ Honorius: Sexaginta fortis, id est Angelos Supremorum Chororum Custodes potentissimos Corporis, & Animæ Deiparae: Ricchard. à S. Laurentio libr. 10. de laudibus Virginis: ostenditur ex hoc loco Canticor. 3. En lectulum Salomonis, quod ad custodiam Virginis, & obsequium non inferioris, sed Superioris Dignitatis Angeli deputati sunt: Sapiens Idiotæ par. 4. Contemplat. 19. Angelici Spiritus fortis inter fortissimos Spirituum: S. Bernard. Serm. 39. in Cantica: Angelicis suffulta ministerijs, & supremo stipata agmine: Guillelmus in Cantica: Denarii, & Senarij indicat nobiliores, quosque & excellentiores ad hoc munus electos: in hanc tandem piam Sententiam alij non pauci conspirant.

- 37 Sin autem SS. Dionis., Gregor., & Thomas oppositum sentire videntur, intelligi debent, vel attento regulari stylo Diuinæ Prudentiæ, vel respectu personarum particularium, vel in ordine ad minima exteriora ministeria, non autem respectu omnium tam Angelorum, quam hominum Reginæ Supremæ, & sublimium Ministeriorum, quæ eidem, & nulli alteri à Deo sunt commissa. Id quod congruentissima hac ratione persuadetur. Si Rex terræ curam, custodiam, & famulatum Matris Suæ Reginæ Ministris suis committere vellet, deceret ne id committere infimis suis Vassallis plebeis, & non potius primis, & nobilioribus Ministris? exhiberet ne amorem, & honorem præcunctis Matri Suæ Reginæ debitum? minimè quisque prudens censeret; Si ergò Altissimus Rex plures Angelos in custodiam, obsequium, & famulatum Matri Suæ, & omnium Reginæ Supremæ, quam præcunctis diligebat, destinare voluit ex dictis, quis prudens non putabit ipsorum nonnullos Supremos, & Nobiliores Ministros, qui & ipsi Regi sunt propinquiores, nonque infimos Vassallos designasse? id ita contigisse, quidquid Observator dicat, nimis est credibile, contrariumque non parum honorem Supremæ Reginæ debitum denigrans, siue extenuans.

O B S E R V A T I O XI.

Pag. 89. num. 70. super verba num. 205.

Quibus asseritur Caput huius Aciei Angelorum fuisse S. Michaelem.

- 38 Opponitur exinde sequi inconueniens, quod cum S. Michael sit ultima Hierarchiæ, ponere ipsum supra Cherubim, & Seraphim totum ordinem hieraticum inuertit. Scio ( ait etiam idem Observator ) quod Petrus Lombardus in 1. Sententiar. contrarias opiniones suppresso nomine citat, tam super punctum præsens, quam præcedens,

cedens, quæ tamen velut reuelata à Matre de Agreda propo-nuntur, vt suam ideam noua aperiendo fabricaret, sed non am-plectuntur.

39 Respondetur pag. eadem 89. num. 71., & 72. hanc obserua-tionem insubstantem vtrà importunam ad effectum de quo agitur, esse, tūm ex dictis: vocatur siquidem in censuram propositio pro-babilis, quam nonnullos Authores defendere etiam exaduerso-supponit, tūm & maximè quod indecora nimis S. Michaeli, & totum Hierarchicum ordinem potius inuertens, vt pote ipsum collocans in infima Hierarchia, contra communem de eo fidelium conceptum, & in specie contrà Sententiam S. Basilij, quem graues Authores num. 72. citati sequuntur afferentes cum ipso, S. Michaelem superiorem in natura, & gratia cæteris Cælestibus Prin-cipibus, id inferentibus ex illo Daniel. 10. *Michael unus de primis Principibus* ( verba sunt S. Gabrielis ) *venit in adiutorium meum*, ad quæ conformiter numer. 73. velut probabilissima, pièque cre-dibilis refertur Sententia plurium afferentium S. Michaelem Se-dem Luciferi in præmium Victoriae de ipso reportatæ, occupasse; Cum igitur aliàs Lucifer in natura, & gratia superior omnium Spirituum creatus supponatur, Supremum quoque cæterorum omnium S. Michaelem esse piè credibile est, consentaneumque menti S. Ecclesiæ ipsum declamantis: *Præpositum Paradisi*, quem honorificant Angelorum Ciues, eiusdem Ecclesiæ Patronum, & Pro-tectorem, cuius honor præstat beneficia Populorum, salutis æternæ signiferum, ac tandem *Principem super omnes animas susci-piendas*.

40 Meritò igitur Dux, & caput Cœlestium Spirituum in custodiā, & famulatum Beatissimæ Virginis ipsorum omnium Reginæ designa-torum à Ven. Scriptrice describitur, quin obstat vocabulum Ar-changeli, quo vulgo appellatur, id enim non naturæ, sed officij est, vti inquit S. Gregorius num. 71. citatus, & muneris commissi Ducis Exercitus Cœlestis Militiæ. Indè S. Bonaventura in specu-lo B. Virginis c. 3. ait: *Michael Dux Princeps Militiæ Cœlestis cum omnibus administratoribus suis Virgo paret præceptis*: Arnold. Carnot. ipsum Domesticum Mariæ vocat: Atque ita sentire videntur, quotquot afferunt B. Virginem fuisse adumbratam in illa muliere, quæ apparuit in Cœlo amicta sole, quam S. Michael cum Angelis suis contra Draconem, & sequaces defendit.

## O B S E R V A T I O X I I .

Pag. 91. num. 74. super verba num. 208.

Quibus prosecuta Mater de Agreda adstruit duodecim Angelos ordinariè adstitisse B. Mariæ in forma humana visibili.

41 Opponitur id non esse verosimile, nec credibile, attento præser-tim fine, quem Mater de Agreda designat, nempe vt eius animæ Angeli inspirarent: ad id namque necessaria non erat forma hu-mana visibilis, quæ vtì ipsa Mater de Agreda frequentissimè di-cit: erat iuuenum valde formosorum: Item aut B. Virginis dum-taxat visibles erant? sicque ad nihil deseruire poterant, nisi

ad recreandam illam suo aspectu, quod credi nequit à Deo factum, nec ab ipsa peroptatum; aut alijs etiam visibiles erant? omissio scandalum, cui occasionem daret Adolescentula pulcherrima habens apud se Iuuenes illos adeò formosos, & tales in apparentia: etsi dicatur; quod ipsamet scandalum vitaret, publicando Iuuenes Angelos esse à Deo destinatos in sui custodiam, & famulatum, id non consonat humilitati Virginis, ac proinde incredibile.

42 Præterea (prosequitur Censor) certissimum est B. Virginis ante annunciationem saltim solitam non fuisse videre Angelos in forma corporea, etsi credatur habuisse visiones, & reuelationes ipsorum: Si enim solita fuisset illos in ea forma videre non vtique turbata fuisset in uno videndo, qui ipsam salutauit, cuiusque turbationis causa fuit nedum insolita, & inexpectata salutatio, sed etiam intuitus illius in specie virili, qua apparuit, vt inter alios SS. Patres S. Ambrosius quasi rationem reddens illius turbationis lib. i. in Lucam afferit dicens: *Trepidare Virginum est, & ad omnes Viri affatus vereri: Sed apertius lib. 10. de officijs cap. 18. salutata ab Angelo taceat, & mota est ad intuitum eius, quia ad virilis sexus speciem peregrinam turbabatur aspectus Virginis.*

43 Respondetur pag. 92. num. 77., & sequentibus, verbis V. Authoris num. eodem adductis, quæ adeo pura, castaque sunt, vt omnem parum reuera dignam, quæ apparet, notam indecentiæ, & scandali, ex discursibus efformatis, à mente pura, & casta prorsus expugnant, proculque ablegent, si meditentur; quomodo autem turbari potuit B. V. ad Gabrielis aspectum in forma humana visibili, si Angelos multoties ante annunciationem in eadem forma viderat? num. 78. respondetur nonnullos SS. Patres, inter quos idem S. Ambrosius causam dictæ turbationis fuisse intuitum illius in forma non humana præcisè, sed virili, fateri, tutior tamen sententia, sacro Textui si non expressa, conformior tenet fuisse turbatam ob nouam, inexpectatam salutationem, sic quamplures num. 78. citati, sic etiam aptius, & expressius alij non pauci Sacri Doctores num. sequenti recensiti, inter quos idem quoque S. Ambrosius hisce verbis: *Gabriel, ubi eam reuiserre solebat, inuenit, notetur verbum reuiserre solebat: quo planè indicat, quod Beatam Virginem priùs non semel inuiserat, antequam salutasset, & annunciasset Incarnationem.*

44 Si deinde doctrina Ven. Scriptricis de turbationis causis loquentis consideretur, vtraque opinio mirè conciliata inuenietur singulari illa gratia, quam Deum illi concessisse pro conciliandis paucis verbis, immo & vnico quandoque nonnullis, quæ contraria videntur, plures obseruarunt: nám cap. 10., & 11. secundæ partis, vbi ex professo de salutatione Angeli pertractat, causam turbationis fuisse inexpectatam salutationem: *turbata est in sermone: ait, non tamen excludit, quod exorta fuerit quoque ex visione Angeli in forma humana virili, immo exinde etiam prouenisse insinuat num. 113. verbis num. 79. ad literam productis: quibus liquidò constat, quod quamvis apparitionibus, & visionibus Angelorum sub specie humana fruia fuerit, occasio tamen, maiestas, severitas, verborum ponderositas, & efficacia, aliaeque*

circumstantiae insolite in annunciatione occurrerunt, ob quas turbari tunc potuit, sicuti ex incogitata, siue improuisa visione. Amici in alia forma, statu, etate, maiestate, ac seueritate non ita videri soliti, turbari, admirarique solemus.

**O B S E R V A T I O X I I I .**

Pag. 94. num. 82. super verba num. 211.

Quibus Mater de Agreda scribit, quod SS. Ioachim, & Anna in actu coniugali, siue propagatione Mariae Sanctissime abstracti penitus fuere ab omni concupiscentia sensuali, & libidinosa, non tamen negat ( id enim error esset) quod Conceptio Mariæ quoad substantiam facta fuit iuxta ordinem communem aliarum generationum; infert tamen inde, quod *ex hac parte*, id est ex dicta abstractione, potuit non resultare peccatum in ea conceptione.

- 45 Opponitur: Ex his ultimis verbis Matrem de Agreda pretendere viam sternere ad firmandam immaculatam Virginis conceptionem: sit autem, aut non sit Maria concepta in peccato originali, ego non pertracto ( inquit Author quartæ Censuræ) nec unquam deinceps punctum hoc attingam, sed me libenter submittam his, quæ desuper Summi Pontifices ordinarunt, solumque dico, quod illa abstractio, admissa, quod verè fuerit, ad nihilum deseruit intento Matris de Agreda; ea siquidem non obstante, si carni genitæ illo modo unita fuisset postmodum anima alia, aut Virgo non fuisset præseruata, culpam nihilominus originalem contraxisset, utpote unita carni descendenti per viam seminalis propagationis ex Adamo, ac proinde infecta: non ergo illa abstractio sufficiens fuit, nec ex illa inferri valet intentum *ex hac parte*.
- 46 Respondeatur pag. 95. à num. 84. usque ad 100., modò tamen ad restrictum responsio reducitur, notando ante omnia, ut potè notatu dignam clausulam illam exaduerso: *Sit, aut non sit Maria concepta in peccato originali ego non pertracto, nec unquam deinceps hoc punctum attingam, sed me libenter submittam his, quæ Summi Pontifices desuper ordinarunt:* verè inquam notatu dignam: Si equidem Observator protestatur nolle desuper pertractare, nec punctum Conceptionis Immaculatae tangere, sed libenti animo submitti his, quæ Summi Pontifices super hoc Mysterio declararunt, id ipsum nos quoque libentissime protestamur, atque eorum declarationibus stantes, non iam sub dubio: sit vel non sit Maria absque labe originali concepta, sed assertiuè ore pleno pio immumen ab ea in ipsorum debitum obsequium cum Sancta Vniuersali Ecclesia fatemur.
- 47 Ab hoc enim verò præscindendo propositæ difficultati fit satis: & quoniam sola ultima clausula narrationis adnotatur, non quidem velut contraria principio vlli, cui non liceat contradicere, sed velut impertinens ad intentum piissimæ Authoris, præseruationis videlicet Beatissimæ Deiparæ à culpa originali, sanam prorsus esse congruentissimamque ad eum finem, palam fit ex textu, & contextu eiusdem in sensu genuino exposito, & adducto à num. 87., usque ad 91., ubi duo perspicue statuuntur, unum velut antece-

*Secunda Classis*

- 44 dens, & alterum velut consequens: antecedens est abstractio Parentum Mariæ in actu coniugali ab omni delectatione sensibili inordinata, & libidinosa, ita ut defecerit culpæ originali accidentis illud imperfectum, quod communiter comitatur materiam, siue instrumentum, quo communicatur, manente ipsa materia seminali nuda, siue nudata ab ea imperfectione inordinata, immo potius meritoria: Id quod etsi exaduerso velut dubium adnotetur, adeò inconcussum est apud SS. Patres, Doctores, ac Theologos pios, vt eorum authoritates adducere sit otiosum, adiungitur tamen num. 92. reuelatio, quam desuper habitam refert S. Birgitta lib. I. cap. 9. ijsdem quasi terminis, quibus Ven. nostra Abbatissa loquitur, vt videre est.
- 48 Ex hoc itaque inconcluso principio infert ipsa clausulam notatam, videlicet: *ex hac parte* (abstractionis à delectatione inordinata, & libidinosa Parentum Mariæ in seminali propagatione corporis, eiusque materiae ministracione) potuit quād optimè non resultare peccatum originale, quod ex alia non resultaturum Diuina Providentia statuerat; notetur: non ait, quod peccatum non resultauit de facto ex præcisa abstractione prædicta, siue ex denudatione materiae ab accidente imperfecto libidinosæ delectationis, quod post peccatum Adami, in pñnamque illius communiter comitatur generationes omnium cæterorum ab illo descendentium, sed quod potuit non resultare, quod ex alia iam parte non resultaturum de facto Diuina Providentia statuerat, vt de facto non resultauit, videlicet vel ex decreto non inclusionis Mariæ in pacto cum Adamo inito velut capite morali transfusionis innocentiae, vel maculae originalis, vel ex Decreto præseruatiuo per infusionem gratiæ sanctificantis in primo instanti infusionis Animæ, siue vñionis cum corpore, siue ex alio capite iuxta varios modos discurrendi Authorum piam opinionem exemptionis Mariæ à labe originali velut certam iam tuentium.
- 49 Sensus itaque genuinus clausulæ adnotatae est, non quod ex præcisa Parentum Mariæ abstractione, siue denudatione ab illo accidenti communi imperfecto libidinosæ delectationis in eius conceptione peccatum originale non resultauit, sed quod potuit non resultare, vt non resultaret propterea in statu innocentiae, si perdurasset ex coniunctione Parentum iuxta communem SS. Patrum, & Theologorum sententiam, aliud enim est dicere, quod mansit materia sola, idest quoad substantiam, nudata tamen ab accidenti illo imperfecto communi cæterarum generationes ex Adamo descendentium concomitante, & aliud, quod sola ipsa denudatio, abstractio, siue parentia fuerit causa de facto non resultantiae peccati originalis. Primum expressè Ven. Author statuit, non autem secundum. Præterea aliud est dicere: potuit ex hac parte non resultare, quod verissimum est, & aliud non potuit resultare, vt ex terminis patet.
- 50 Fusiùs adhuc aperitur, & explanatur sensus genuinus verborum Ven. Authoris num. 95., & duobus seqq., vbi ea sana prorsus, & immunia ab omni nota, congruentissimaque ad eius intentum esse

ea ponderanti constabit. Quid autem contingere in casu, siue hypothesi exaduerso conficto, quo carni modo dicto genitæ Mariæ anima alia fuisset vna, aut ipsa B. Virgo non præseruata? in primo casu potuisse non resultare peccatum pariter dicitur. In secundo verò resultaturum planè, sed quid inde contra assertam propositionem? Nihil sanc.

## O B S E R V A T I O X I V,

Pagin. numeroque 101. super verba num. 221,

Quibus affirmatur, quod in primo instanti, quo anima Mariæ infusa eius corpori fuit, concessus fuit ei usus perfectissimus rationis.

51 Opponitur: Si Mater de Agreda concedit Mariæ in utero Matris liberum aliquem actum, non contradico: concedere tamen eius continuum illius à primo instanti, quo fuit concepta, admitti non debet, quantumuis id non solius Matris de Agreda, sed aliorum modernorum Authorum sit opinio. Ego autem ( inquit Observator ) omnibus simul oppono S. Thomam par. 3. quæst. 37. art. 3. dicentem, Beata Virgo non habuit in ventre Matris usum liberi arbitrij, hoc enim priuilegium est peculiare Christi Domini, idque colligitur ex illo Hierem. 31. nouum fecit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum: loquitur de Christo, qui ex eo quod à primo instanti Conceptionis usum perfectissimum rationis habuit, & donorum gratiæ plenus fuit, dicitur Vir. Si Ergo Mater de Agreda admittit in & à primo instanti Conceptionis Mariæ usum perfectissimum rationis, cessat admiratio Hieremias.

52 Respondetur pag. 102. num. 103., & sequen. supponit Censor ne-dum Matrem de Agreda, sed etiam nonnullos Authores modernos concedere, vt reuera quamplures concedunt Beatissimæ Virgini in primo instanti sue animationis usum perfectissimum rationis, & liberi arbitrij: quo supposito, vt quid Testibus, motuise persuasiuis egemus, vt ea assertio velut probabilis, pieque creditibilis existimetur, ac proinde immunis ab omni censura, oppositaque potius censuræ obnoxia ex dictis? quin obstet Authoritas S. Thomæ, non enim tanti habenda est, vt opponi, & anteponi debeat alijs assertum usum rationis Mariæ concessum statuentibus, vt sunt non tantum moderni authores, sed plures SS. Patres, ac Doctores quos citat Suarez tom. 2. par. 3. disput. 4. Doctor nec non Nouatus tom. 1. cap. 7. quæst. 29., vbi eam opinionem varijs authoritatibus, & rationibus mira Theologica subtilitate dispositis probat, & confirmat miris exemplis pag., & num. quibus supra adductis, tum Angelorum, tum primorum Parentum, tum Sancti Ioannis Baptiste, vt videre est, quod porro subsistere nequaret, si usus rationis, & liberi arbitrij foret priuilegium Christi speciale, vt exaduerso ex D. Thoma asseritur, nonque aliunde probatur, quam ex insubstanti, libera, impropriae expositione vt patet Dicti illius Hierem.; ultraquamquod, si ex eo præcisè, quod Christus à primo sua conceptionis sit, & dicatur Vir, usus

rationis, & liberi arbitrij conceditur, Beata pariter Virgo ab initio suæ Conceptionis Fæmina, perindeque Mulier apparuit, sic depingitur Apocalip. 12. *Mulier amicta Sole juxta vulgarem Doctorum intelligentiam.*

## O B S E R V A T I O X V.

Pag. 103. num. 105. super verba num. 127.

Vbi habetur hæc propositio: *B. Virgo in primo instanti suæ Conceptionis exercere cœpit actus humiliationis, & prostrationis corporalis, aliasque virtutum operationes.*

- 53 Opponitur non quidem fundamentum aliquod positium adducendo, sed admirationem videlicet: *quis sibi figurare potest, quod Corpusculum adeò exiguum, utpote quantitatem unius apis non excedens, vñl ipsa Mater de Agreda ait, immersum alias in humoribus fluidis, humiliationes, prostrationesque corporales, & alia huiusmodi exercere potuerit?*
- 54 Respondet pagin. 103. num. 107. semel concessio, & supposito ex immediatè dictis Beatam Virginem usum perfectissimum rationis, in, & à primo instanti suæ animationis habuisse, assertam propositionem plusquam probabilem, piè credibilem esse concedi debet, vt verumtamen id magis appareat, textus, & contextus Ven. Authoris producuntur num. 107., & sequen., quibus habitus omnium virtutum animæ B. Virginis in primo sui esse fuisse infusos, nonque ex tunc otiosos fuisse, sed actibus heroicis exercuisse statuit, ac declarat, exindeque concludit dicens. *Perfectio nedum consistebat in adeò eminenti gradu habituum infusorum, sed etiam in actibus, qui respondebant iuxta conditionem, ac excellentiā, quantum exerceri poterant eò tunc primo ope Djuina, quæ aliud ad id impedimentum, siue limitem non habebat, nec legi alteri subiecebat, nisi iustissimo Dei beneplacito.* Id quod si opus esset fulcire, in numeri SS. Patres, ac Doctores adduci possent, quodque breui calamo S. Birgitta lib. 8. suarum reuelationum num. 111. relata compræhendit.
- 55 Ad admirationem Censoris, quis scilicet sibi figurare poterit, quod Paruula Maria corpusculo illo adeò exiguo immerso alias in humoribus fluidis humiliationes, siue prostrationes corporales exercere potuerit pag. 105. num. 114. respondet, quisquis nimirum piè credat, vtì piè credere debet Christum Dominum in utero Matris corpusculo exiguo in primo suæ formationis instanti, immerso alias etiam in humoribus fluidis corporales humiliationes in gratiarum actionem erga suum Patrem exercuisse, idem suam Sanctissimam Matrem ope Djuina egisse, non ei difficile erit credere, sed piæ credibilitati succumbet, eò & maximè, si Sacras Scripturas euoluat, in quibus miris exemplis veritas assertionis confirmata inuenitur, tum de Iacob, & Esau, de quibus dicitur Genes. 25. vers. 22., quod collidebant Paruuli in utero Matris, tum de Ioanne Baptista, de quo Lucæ 1. vers. 41. narratur: *Exultauit Infans in utero Matris:* quod passim Doctores exponunt de gaudio, & gratiarum actione fal-

saltibus, & prostrationibus corporalibus expressis, quorum nonnulli expressis verbis id asserentes citantur pag. 106. num. 116., & seqq.; idque tandem comprobatur verbis S. Augustini num. 118. productis, ac videndis.

## O B S E R V A T I O XVI.

Pagin. 107. num. 119. super verba num. 251.

Quibus hæc propositio statuitur. *Si per unicum instans (Maria) in sua conceptione gratia caruisset, nunquam quacumque diligentia adhibita potuisset ab umbra, siue nota culpæ immunis dici.*

- 56 Opponitur ab uno Censore in hunc modum: ac si gratia baptismalis præcipuè culpam non deleat, sed eam dumtaxat cooperiat, vtì Luterus aiebat: acriùs tamen ab alio ea propositio, vtì & illa quasi eadem num. 181. *Si Maria in sua Conceptione peccatum originale contraxisset, semper macula illa appareret: de falsitate & errore configitur, quo tamem fundamento? nullo sane solido positio, & efficaci: nulla siquidem adducitur Doctrina vera, siue inconcussa, cui contradicat, & minus vlla de fide catholica expressè, vel illatiuè saltim definita, cui opponatur, sed discursu theologico gratis quidem efformato, & innixo hypothesi, quod culpa originalis in mera priuatione formaliter consistat: Si ergo (arguitur) Maria in sua Conceptione culpam contraxisset, & postmodum gratia sanctificans ei aduenisset, nihil illius priuationis in eius anima mansisset: gratia siquidem sui priuationem penitus excludit: gratia igitur illa superueniens procul dubio originalem culpam excluderet, quia quidquam eius relinqueret. In illo præterea casu minoris efficaciae foret gratia, quam nobis in Baptismate collata, quæ nedum tollit reatum culpæ, sed quidquid rationem culpæ habet, abradit.*
- 57 Respondetur pag. 108. num. 121. utramque nimirum propositionem annotatam sanam, & innocuam in sensu genuino Authoris, ab omnique falsitate, & longius errore esse alienam. Quis enim dubitare poterit, & minus negare peccatum originale quantumuis quoad culpam, & reatum pœnæ per gratiam baptismalem deleatur, veritatem moralis perseverantiae quodammodo post se relinqueret, qua possit, debeatque dici reuera extitisse, animamque foedasse, taliter ut quacumque diligentia adhibita, etiam gratia sanctificante adueniente, immo & Dei absoluta potentia interueniente saluari nequeat maculam non extitisse, animamque fætam non fuisse? nemo sanè. Id igitur, & non aliud Ven. Author eius genuina mente, & verborum legitimo, & pleno sensu considerato statuit, vtì clarissime patet ex verbis illis num. 181. ad literam pag. 110. num. 127. recensitis, atque miris exemplis, & rationibus num. sequenti adductis, explanatis, & comprobatis.
- 58 Ex quibus clarè colligitur, quod quantumuis gratia sanctificans Beatissimæ Virginis Animæ post eius infusionem superueniret, semel quod peccatum originale, in & à primo animationis instanti incurrisset, & si culpa nedum operiretur, vtì Luterum sensisse exaduersò asseritur, inaduertenter, vtpote qui peccatum originale

nale non agnouit, verum & penitus ablueretur, macula tamen semper moraliter perseveraret, semperque B. Virginem maculatam, Diaboli mancipium, iræ filiam, Dei inimicam (quod pias aures offendit) fuisse verificaretur, quin tantæ infamiae nota (hispanicè mira energia *tacha, o lunar*) juxta phrasim Scribentis, etiam per gratiam postmodum superuenientem penitus aboleretur.

- 59 Nec discursus exaduerso illius est momenti, sed insubsistens potius, & futile (salua *venia Censoris*). Tum quia macula originalis si sumatur quoad culpam, primò & formaliter non consistit in mera priuatione gratiæ, vtì nonnullos Theologos sentire non ignoramus, sed in deordinatione positiva morali actus liberi personalis Adami moraliter perseverantis, ad posterosque ex Decreto Dei transfusi, & imputati, ad quam deordinationem sequitur priuatione gratiæ velut effectus, & pena ex Diuina ordinatione, vtì aliorum Theologorum vera tenet sententia. Tum & maximè quia in illa hypothesi exaduerso facta peccatum originale verè quoad culpam per superuenientem gratiam ablueretur, vtì nobis per gratiam baptismalem remittitur: est enim de fide ex Sacra Tridentina Synodo per gratiam Christi, quæ in baptismo confertur, quidquid rationem peccati habet, reatumque pænae peccati originalis remitti: non tamen inferre licet, indè notam culpæ ità penitus aboleri, vt nec etiam moraliter perseveret, siue non extitisse verificetur: perseverat quippe, & verificatur infamiae nota, vel ut propriùs cum Ven. Authore loquamur: *illa tacha*; hispanicè, italicè: *taccia, o lunar*, itaut neque de potentia Dei absoluta non fuisse, verificari valeat: *ad præteritum namque non datur potentia*.

### O B S E R V A T I O XVII.

Pagin. 112. num. 130. super verba num. 252.

Vbi hæc habetur propositio: *Omnia Priuilegia, Gratiæ, Dona, & prærogatiæ Beatissime Virginis etiam comprehensa Dei maternitate, prout mihi exhibentur, & manifestantur, dependent ab eo quod fuerit immaculatè concepta.*

- 60 Opponitur primò, quod Mater de Agreda eam dependentiam sufficienter non explicat, aut enim eam ponit, quoad perfectionem, aut quoad substantiam, aut nec unum, nec alterum: vnde necesse habuit declarare, quod neutro modo. Secundo, quoad maternitatem Dei, quod attinet, Ecclesia eam dependentiam non agnoscit, Dei namque Maternitatem de fide Catholica credenda proponit, quod vero sit, aut non sit Maria in peccato originali concepta, vniuscuiusque libertati sentire relinquit, vt constat ex Constitutionibus Sixti IV. Patres nec non Concilij Ephesini contra Nestorium probarunt, quod Maria vera sit Dei Mater ex alio principio, nulla mentione facta de eius Immaculata Conceptione. Tertiò præcipue falsa est ea dependentia, etiamsi sermo sit quoad maiorem perfectionem Donorum, quod videlicet ea omnia essent, velut ædificium mancum, & ruinosum absque fundamento solido, & proportionato, vtì inquit ipsa Mater de Agreda.

da. Sic enim vera naturalis Dei Mater dici nequirit Maria: namque repugnantia, vel difficultas est (arguitur) ut attento statu, ad quem Maria fuit electa Donis Spiritus Sancti non minus perfecte ornaretur, ac si fuisset in peccato originali concepta? assignetur ratio, quare tunc esset abbreviata manus Domini? cur plenitudo non eam constitueret Deo gratiam? quis (omnissimis alijs similibus iustificationibus) potuisse talia cogitare, nisi qui mente careret?

- 61 Respondetur pag. 112. à num. 133. usque ad 152., sed quoniam satis fusa est satisfactio, ad Synopsem modò redigitur. Prètermis- sis itaque præiactis quæstis impertinentibus, terminisque minus proprijs, quibus oppositio efformatur, nulli fundamento positivo, sed merè negativo, vt patet, innixis, duo specialiter consideranda, quæ exaduerso afferuntur, haud omittere valemus. Primum est clausula illa, an sit, vel non sit Maria concepta in peccato ori- ginali, vniuersusque libertati relinquitur ex Constitutionibus Sixti IV. quod enim antiquitus opinabile fuerit Mariam Sanctissimam fuisse conceptam absque peccato originali, vniuersusque libertati partem affirmatiuam, vel negatiuam tenere relictum certissimum est: quod autem post Constitutiones Sixti IV. in Sacro Concilio Tridentino confirmatas, ac deinceps à Gregorio XV., & præcipue ab Alexandro VII. emanatas Constitutiones vniuersusque libertati relictum afferatur, & hoc apud S. Sedem, iudicent sapientissimi Iudices, quibus prefatae Constitutiones, earumque tenor notus est, sit, vel non sit aliqua Censura dignum.
- 62 Secundum est illa propositio, quod videlicet Deus ita perfectè potuisse ornare Mariam Sanctissimam gratia, Donisque Spiritus Sancti attento Statu, ad quem fuit electa, si fuisset in peccato originali concepta, ac si fuisset ab eo præseruata, è quod nulla sit in ea repugnantia, vel difficultas, ratione probans, cur non? Id porrò potuisse à Deo fieri de potentia absoluta, non attento statu, ad quem ipsam de facto eleuauit, vt videlicet esset digna, condigna eiudem Dei Mater, non negatur, eo tamen supposito statu, id afferere parum tutum esse videtur ex infra dicendis.
- 63 Interè verò assertam dependentiam omnium Privilegiorum, & Gratiarum Beatissimæ Virginis etiam Maternitatis Diuinæ ab eo, quod fuerit in gratia concepta, in sensu genuino verborum Dei Famulæ, sanam, & invulnerabilem, immò & innegabilem esse, eadem verba producta, vt iacent pag. 113. num. 136. concludunt videlicet: vi veritatis, & lucis, qua hæc Mysteria contuor, semel iterumque fateor, omnia priuilegia, gratias prærogatiuas, Donisque Mariæ Sanctissimæ concessa, etiam Dei maternitatis dignitate non excepta pendere, siue originem habere ex eo, quod fuerit immaculata, & gratia plena in sua purissima conceptione, ita ut absque hoc priuilegio omnia informia, & imperfecti viderentur, ac velut sumptuosum edificium absque solido, & proportionato fundamento; Omnia certo quodam ordine, & nexus respiciunt puritatem, & innocentiam conceptionis; quibus verbis apertissimè explanat, qualis sit dependentia, ordo, & nexus Diuinæ Maternitatis (idem est de alijs prærogatiuis): clarius tamen aperitur supponendo cum Censore, quod unum ab alio dependere dici potest, vel quoad

substantiam, & existentiam, ita ut nullatenus subsistere valeret sine illo, à quo sic dependens dicitur, ut in Schola Thomistica Verbi Divini Incarnationis ab Adam peccato praeuiso dependet, vel quoad modum, ut in Scotica, ea Incarnatio à peccato praeuiso quoad circumstantiam possibilitatis tantummodo dependet; hec autem dependentia talis est, ut quamvis absolute, quoad substantiam, & existentiam non dependens ponи posset in rerum natura, non verò ita perfectum, condecens, & speciosum, ut oportet, videtur,

**54** Dum igitur Ven. Author Maternitatem Dei à puritate, & innocentia B. Virginis in sua Conceptione adstruit dependentem, sensus genuinus, & planus est, non quod Divina Maternitas quo ad substantiam, & existentiam ita dependeat, ut absolute subsistere nequicret sine illa puritate, attenta Dei absoluta potentia, aliae rerum dispositione, sicut nec quod Maternitas in quantum est dogma de fide Catholica creditum, dependeat absolute à tutissima p̄iissima Sententia, & si non de fide definita Immaculatae Conceptionis, sed vnicè eam dependentiam ponit iuxta, & secundum quod sibi est manifestatum, idest quoad modum condecorat, perfectionis, & speciositatis, ut miro exemplo sumptuosi Ædificij ab aliis solidi, & proportionato fundamento sese clare explicat, quod si verumtamen clarius desideretur, expendantur verba illa eiusdem pag. 115. num. 139. recentita.

**65** Constito itaque genuino, plapo, & expresso Ven. Authoris sensu asserta dependentia innegabilis est procul dubio, utpote expressa alias apud SS. Patres, grauissimosque Autores citatos pagin. eadem 115., & seq., & ne tandem locus dubitandi de hac veritate supersit, exemplum quo utitur Ven. Abbatissa de sumptuoso ædificio aliisque fundamento solido, & proportionato, S. Anselm, mirabili proprietate applicat lib. 6. de concept. c. 3., & quo etiam cohærenter vtuntur Sacri Interpretates versantes verbum illum. Psal. 46. *Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus*, prout etiam dicitur pagin. eadem num. 145., quod autem eam dependentiam non agnoverit Ecclesia, nec Patres conciliares Ephesini ex hoc principio, sed ex alio probaverint, ac definierint Mariam veram Dei Matrem esse, quid inde, ut non piè credatur asserta dependentia tot fundamentis fulcita, congruentissimoque exemplo explanata? Præterquamquod S. Matrem Ecclesiam eam dependentiam velut à fundamento proportionato, & condigno cognoscere, ipsosque Patres Ephesinos non negasse, immo potius insinuasse, & supposuisse probatum manet, ut videre est numero 143.

**66** His non obstantibus non leuis superest difficultas in concilianda, asserta Doctrina Ven. Authoris cum communi SS. Patrum, & Doctorum, immo, & ipsius Scripticis non semel cum ipsis assertentis gratiam immaculatae Conceptionis, omniaque cætera Dona Marie Sanctissimæ concessa à Maternitate Dei dependere, ut constat ex Textibus eiusdem pag. 118. n. m. 147 citatis; non ergo cohære re videtur cum præicta dependentia Maternitatis à puritate conceptionis. Cohæret sanè, supposita tritissima in Scholis Sententia duplicitatem ordinem in Diuinis Decretis absolutis, & efficacibus di-

tingente, intentionis nempe, & executionis, in quo diuerso ordine datur inter easdem res mutua prioritas, & dependentia: Ordo intentionis respicit finem primario prezentum, executionis vero respicit media, siue conditiones ad illum consequendum. Intentionis prior est: nam omnes ordinatè volens, prius vult finem, quam media ad finem; In ordine itaque intentiu media pendent à fine tanquam à causa mouente, in executiuo vero finis dependet à medijs tanquam à conditionibus prærequisitis.

- 67 Quando ergo Ven. Author omnia Priuilegia Mariæ pendentia ponit à Maternitate Dei, loquitur in ordine intentiu Decretorum Dei; dum vero affirmat Diuinam etiam Maternitatem ab innocentia, & puritate Conceptionis dependere, in ordine executiuo sermocinatur, itaut prius fecerit esse sine labe conceptam, quam esse de facto, & exercitè Matrem Dei, id quod expressis verbis statuit prima parte, aliisque in locis citatis pag. 119. num. 150. Suarez nec non ibidem relatus.

## O B S E R V A T I O X V I I I .

Pag. 120. num. 153. super verba num. eodem 252.

Videlicet. Moneo tamen cunctos Reginam Cælestem tanti habuif-  
ornatum, & pulchritudinem à Sanctissimo suo Filio in primo instanti  
Conceptionis collatam, ut ad eius mensuram, siue proportionem, eius  
erit indignatio aduersus eos, qui cum tenacitate, & contentione eo  
ornatu, & pulchritudine ipsam spoliare, ac deturpare conabuntur:  
Ed maxime dum Sanctissimus Filius ad sui gloriæ, & solarium  
mortaliū adeo ornatam, & pulchram Mundo iam exhibere di-  
gnatus est.

- 68 Opponitur in primis, sed non aliter quam sciscitando, quando quomodo, & cui illorum, qui sic credibile notum facere posset Mundo Immaculatae Virginis Mysterium? Gregorius XV. literis suis ad Philippum IV. instantem pro eius definitione rescripsit dicens: non dum æterna Sapientia tanti Mysterij penetralia patefecit. Idem testati sunt, si non verbo, vel scripto, facto tamen successores. Deinde [ ait Censor ] haud omitti debet, quantum Mater de Agreda contrarietur Constitutionibus Apostolicis Sixti IV., Gregorio XV., Pauli V., & Alexandri VII., quibus prohibetur sub pena excommunicationis asserere eum peccare mortaliter, qui negat immaculatam conceptionem, dum ipsa statuat indignationem Dei incurtere, quæ indignatio absque peccato mortali non incurritur: quin obstat clausula illa: cum obstinatione, & perfidia: nám cum non sit articulus de fide, sed libertati vniuersiusque relictum parti affirmatiæ, vel negatiæ adhærere, locum non habet obstinatio, & perfidia, dumtaxat ergo (concludit Observator) intelligi potest Mater de Agreda de negatione præfati Priuilegij, attenta opinione illud concedente: & hoc est, quod præfatis Constitutionibus aduersatur.

- 69 Respondet pag. eadem num. 155. usque ad 169. , & in primis quantum ad quæsumus quando nempe, quomodo, & cui illorum, qui id ut credibile notum facere posset [Mysterium Conceptionis)

- nulli vñquam vsque modo respondeatur , vt credibile fide Catholi-  
ca infallibili , ita tamen per Summos Pontifices , & per ipsos Vni-  
uerso Mundo Catholicò illud Deus patefecit , vt fide certa omne  
Dubium prudens practicum saltim , vel moralem falsitatis formi-  
dinem citra fidei Diuinæ certitudinem excludente credibile Deus  
manifestauerit , prout Mundus totus Christianus cultu publico ex-  
hibito de precepto iuxta mentem S.Rom.Ecclesie per eius Supre-  
sum Caput , ac Rectorem Alexand.VII., & Clement.XI.agnoscit ,  
fatetur , celebrat , ac veneratur .
- 70 Quantum ad secundum , quod videlicet Ven.nostra Abbatissa Con-  
stitutionibus Apostolicis contrarietur afferens indignationem Dei  
incursurum eum , qui Mariæ conceptionem oppugnare conetur ,  
quandoquidem juxta eas constitutiones vniuscuiusque libertati  
relinquatur , partem affirmatiuam , vel negatiuam tenere , & grē  
respondere cogi ingenuè fatemur , eaque propter ab hoc punto  
præscindimus , alijsque iudicandum submittimus , quisnam potius  
præcitat Constitutionibus contrarietur , negans nimirūm Bea-  
tam semper Virginem fuisse conceptam absque labe originali , in  
eo sensu , quo vniuersalis Ecclesia iuxta declarationem Alexan-  
tri VII. præsertim id semper intellexit , aut affereas vniuscuius-  
que libertati relictum vnum , vel alterum ? , vel tantum Mysteri-  
um pio corde , oreque pleno propugnat , veneratur , & colit ? ab  
hoc inquam præscindimus ; alijsque sapientissimis maximè Iudici-  
bus discernendum submittimus .
- 71 Assertam tamen indignationem , sub his terminis , quibus præmissa  
monitione humili , ac sincera Ven. Abbatissa eam proponit , justissimam esse conuincitur : non enim in primis loquitur de indignatione Dei , vt si in sinistrè vertitur , sed Beatissimæ Virginis incurrenda : nec deinde eam incursuros adstruit absolutè , qui Mariæ con-  
ceptionem in gratia denegaverint , sed limitatè , sive restrictiuè ,  
eos videlicet , qui non cum obstinatione , & perfidia ( vt si in sinistrè  
etiam vertitur ) sed cum tenacitate & contentione hispanicè : *Con-  
tenacidad, y contencion* : purissimam Deiparam deturpare , atque  
spoliare ornatu , & pulchritudine à suo Sanctissimo Filio in primo  
instanti animationis collata , & quanti ipsa tanti habuit , ac merito : In hoc igitur sensu quis non timere poterit indignationem ejus  
incursurum eum , qui post tot argumenta , quibus Altissimus per  
Summos Pontifices , per inumeros SS. Patres , Doctores , ac  
Theologos ; per priuatas reuelationes , per iterata miracula , per-  
que tandem vnuersalis Ecclesie consensum , omniumque Fide-  
lium acceptationem , innocentiam , & puritatem suæ Sanctissimæ  
Matris manifestatam oppugnare conetur ?
- 72 Porro Mysterium hoc iuxta statum præsentem , quo ab vnuersali  
Ecclesia de precepto colitur , in eodem saltim gradu certitudinis  
reperitur , quo eiusdem corpore , & anima assumptio in Cælum  
reditur , & colitur , immò si fas sit dicere maioribus argumentis  
fulcitum : Quis igitur pius verusque Catholicus dubitare , non-  
que timere valebit indignationem eiusdem incursurum , qui hoc  
Mysterium negare , vel etiam in dubium vocare , aut velut opinabile  
libertati vniuscuiusque relictum id vel negare vel confiteri  
præsumat , idque cum tenacitate , & contentione ? diximus pius ,

*& Catholicus*, non enim ignoramus vnum vel alterum his etiam nostris temporibus prefatum Mysterium negare audentem, vel in dubium vocantem non sine piarum aurum offensione, leui nec non scandalo.

- 73 An autem, & quale peccatum asserta indignatio arguat, vel supponat, Ven. Author nec declarat, nec ex eius verbis legitimè inferri valet: vnicè etenim adstruit, quod ad mensuram, siue equalitatem (intellige proportionalem) estimationis Beatissimæ Virginis de ornatu, & pulchritudine innocentiae, & gratiae in sua conceptione, eius erit indignatio. Audemus verumtamen dicere, non quod contrarium piaæ opinioni subtiliter mortaliter peccet, & minus heresim incurrat, utpote prohibitum à Summis Pontificibus, sed quod ab aliqua culpa veniali saltim excusari nequeat ad mensuram tenacitatis, & contentionis in propugnanda opinione pia contraria, quisquis Apostolicas Constitutiones favore eiusdem piaæ opinionis emanatas, penasque grauissimas in eis expressas infligendas ab Alexandro VII. inauatas perpendat, haud censere nequibit.
- 74 Dicere autem, ut exaduersò dicitur, indignationem non incurri nisi ob peccatum mortale, absolute prolatum, parùm tutum, ne aliter loquamur, videtur: Deum enim offendit, ac proinde indignari de peccato etiam veniali, & ad mensuram qualitatis offensæ, absit negare, aptissimum tandem exemplum in materia longè minoris momenti ex Doctrina Angelici Praeceptoris Opusculo 19. c.3. adducitur pag. 124. num. 164., nonnullæque Authoritates numeris sequentibus, quæ si persistentur, nulli iam licere Immaculatam Virginis Conceptionem in sensu Ecclesiæ negare, vel ei quoquo modo contradicere tenaci præsertim contentionem, id est siue verbo, siue scripto, siue arguendo, siue disputando [id enim tenacitas, & contentio exprimit] sed indignationem Beatae Virginis incursum, & alicuius culpe incursionem haud negari posse videtur: Interius dissentiri, vel non assentiri pia prudenti credulitate huic Mysterio prohibitum non esse, expressè fatemur. Exterius tamen quoquo modo ex dictis cum tenacitate, & contentione illi dissentiri positiuè, nulli iam licere absque aliqua nota scandali, & penarum incursione à summis Pontificibus inflatarum, compertum est.
- 75 Hæc in responsionem præsentis observationis dixisse agrè, coactè, salua tamen debita modestia, iterum ingenuè fatemur, quam tandem claudimus pia humili monitione Ven. nostræ Abbatissæ pag. 121. numer. 159. recensita huius tenoris: *ad hoc prodigium (Dei patre nempè Mariæ præseruationis à labe originali) humana fragilitas pia humilitate accedit, & fateatur Creatoris magnificentiam, gratiasque ob beneficium toto humano generi in Reparatrice sua concessum rependat? Cesset iam zelus vi huius lucis deuictus: Si enim infinita Dei bonitas (prout mihi ostensum est) in conceptione Mariæ Matris suæ peccatum originale aspergit velut indignata, & irata contra ipsum, simulque gloriata, habuisse causam iustum, atque opportunam occasionem illud precipitandi, & rapidum eius cursum sistendi, qua ratione humanæ Sapientiæ gratum videri poterit, quod Deo tam abominabile est?, iam iam tempus est, ut intellectus humanus in hono-*

bonorem magnæ Reginæ nostræ extendatur, ac dilatetur, atque ille qui contrarium tenuerit, ab illo recedat, & desistat, exclametque cum Sancta oniuersali Ecclesia, Mariam Sanctissimam immaculatam in sua Conceptione fuisse.

## O B S E R V A T I O X I X.

Pag. 125. num. 170. super verba num. 330.

Videlicet : Maria Sanctissima vix nata innumerabili Angelorum multitudine stipata de mandato Domini in Cœlum Anima, & corpore fuit sublimata, & à Filio velut Mater recepta, atque ad dexteram eius collocata, Angelo uno eius custode inter brachia S. Annæ illius personam supplente.

- 76 Opponitur : hanc narrationem aduersari traditioni, & Doctrinæ Ecclesiæ, qua constat, quod ante aduentum Christi clausum erat Cœlum mortalibus, idemque Christus, & si immunis à peccato, non legitur quod Anima, & corpore in Cœlum ascenderet, nisi post quadraginta dies completos à sua resurrectione, nec ullus eorum, qui cum ipso resurrexerunt, vtì colligitur ex illo Ioann. 20.v.17. *nondum ascendi ad Patrem meum*: adiungitur : nedum hanc, sed quamplures alias corporales eleuationes Mariæ in Cœlum, quas Mater de Agreda varijs in locis recenset, vanas, & superfluas esse, ac tandem ridiculum, ac incredibile, quod tempore illo, quo Maria in Cœlum euecta extitit, unus Angelus inter brachia S. Annæ personam, & locum illius supplens, permanserit.
- 77 Respondetur pag. 126. num. 172. vsque ad 180., & quidem quantum ad eleuationem Mariæ vix natæ in Cœlum, aliasque deinceps, si Censor obseruasset Doctrinam, quam desuper Author adnotacionum adnotat. 16. in satisfactionem adducit, vel saltim reflexisset super ea, quæ Classe secunda art. 8. Positionis prioris dudum exhibitæ sub titulo *de commercio eiusdem Beatissimæ Virginis cum Ecclesia triumphanti*, dum adhuc in terris degeret, dicta sunt de iterationis eleuationibus Mariæ anima, & corpore in Cœlum, deque visionibus quandoque intuitiuis diuinitatis transeunter, quandoque abstractiuis per altissimas infusas species, ab huiusmodi oppositione procul dubio fese abstinuisset, vtrobique enim ad sufficientiam, nè dicamus ad plenum probatum inuenisset ex SS. Patribus, & Sacris Doctoribus, validissimisque rationibus ex nullo capite incredibilem, & minùs impossibilem esse assertam eleuationem, aliasque deinceps habitas : non quippe ex lege communi prohibente ingressum mortalium in Cœlum ante aduentum Christi, eiusque Ascensionem, non ex eius dignitate, & primatu; non ex statu viae Beatissimæ Virginis, nec tandem ex aliquo Sacre Scripturæ textu, vllae traditione, siue doctrina Ecclesiæ iuxta genuinam expositionem, & intelligentiam.
- 78 Quoniam itaque nulla difficultas noua in præsenti adiicitur, quæ ibidem euacuata non sit pñnitus, nouam adiungere satisfactionem superfluum est : vt enim verò omnis scrupulus euaneat, textum, & contextum Ven. Scriptricis, vnde clausula adnotata est de prompta ad vnguem in latinum versam in medium producimus :

Ipsa

Ipsa equidem post assertam Mariæ vix natæ corporalem eleuationem in Cœlum, dubium, quod sibi super occurserat, Magistra suæ humiliter proponere ausa est declarandum non prò se, sed prò alijs, quibus fortassè occurseret, motiuaque dubitandi, & quidem ea omnia, quæ adduci possent, & adducuntur exaduerso verbis numer. 337. huius tenoris: *Si licentiam mihi concedas Domina mea, ut coram te loquar, dubium quod mihi occurrit super hoc Mysterio admirabilis, sanctique tui ortus proponam: Dubium est, quomodo concipiendum sit, quod per manus Sanctorum Angelorum admissa fueris in Cœlum Anima, & corpore, & ad Divinitatis conspectum; Siquidem iuxta Doctrinam Ecclesie Sanctæ, & Doctorum, Cœlum clausum extitit, & velut interdictum hominibus, quoad usque Sanctissimus Filius tuus illud aperiret mediante vita, & morte sua, illudque ingressus fuit, velut Redemptor, & caput, dum resuscitatus ascendit in die Ascensionis, primus omnium cui eternales illæ portæ, quæ clausæ erant per peccatum, apertæ fuerunt.*

79 Dubio huic, quod revera continet quidquid in oppositum obisci valet, pia Mater, ac Magistra dignata est respondere, rationes simul congruentiae assignans prò tanti beneficij sibi concessi pia credibilitate dicens: *Cum me obex peccati non tetigerit, impedimentum mihi non fuit, quod mortalibus ceteris ad ingrediendas portas illas eternales gloriae, immo potius brachium Filii mei fecit mecum velut cum Dominâ Virtutum, & Regina Cœli, & quia de carne mea, & sanguine vestitura eram illum, hominemque factura, placuit dignationi sua me prius præuenire, & similem sibi facere in puritate, & exemptione à culpa, atque in Donis alijs, priuilegisque Diuinis. Hæc piissima Mater, & Magistra, quorum vim, & efficaciam persuasiuam quisquis attentè perpendat, assertæ corporalis eleuationis Mariæ vix natæ, aliarumque quarumcumque ab eius Famula recensitarum pia credibilitati haud succumbere poterit.*

80 Adiungitur verum tam argumentum hoc Theologicum; maius revera est Deum intuitiū in hac mortali vita videre, quam corpore & anima præcisè in Cœlum euehi, ac locum Sanctis in perpetuum post mortalis huius vitæ cursum destinatum obiter occupare: hoc etenim quid accessorium est de secundario se habens ad ipsorum gloriam, primò essentialiter consistentem in visione, & fruitione Diuinæ essentiæ; sed primum concessum fuisse saepius Beatissimæ Virgini quamplures non leuis nota. Authors fatentur, non obstante lege illa generali in Sacra Scriptura expressa; *non videbit me homo, & viuet; & illa; nemo potest Deum videre constitutus in terra: Immo etiam quamplures tam antiqui, quam moderni id concessum fuisse existimant, in statu innocentiae Adamo, in lege scripta Moysi, & Eliae, in lege gratiae S. Stephano, & Paulo, atque alijs, si igitur quod maius est B. Virginis [aliis prætermis] concessum fuisse non obstante lege prohibente ingressum in gloriam essentialem non quidem permanenter, sed transeunter, piè credibile est, cur non quod minus est, velut accessorium, & de secundario se habens, raptus nimis corporalis in Cœlum prò breui tempore? concessus fuit Paulo, ut tenet pia communis Sententia ex dispensatione legis inaccessibilitatis loci, & status viæ,*

incompatibilis cum statu termini , & non Beatae Mariae ?, contra diceret sancte principio illi generali à Sanctis Patribus , sacrifici Doctoribus firmato videlicet : Omnia priuilegia , gratias , & favores vni ex Sanctis concessos , rationabile est credere Deiparae fuisse elargitos , nefasque reuere ei fuisse denegatos , sed potius excellentiori modo donatos .

**81** Nec officit , si dicatur id Paulo contigisse post Christi Domini Ascensionem , quando iam Cœlorum portas ipse aperuerat : non inquam officit , quod enim probat fuisse dispensatum cum Apostolo post Christi Ascensionem , probat quippe potuisse fieri prius cum Deipara : Apostolus namque ut ad Empyreum raperetur , à lege inaccessibilitatis , & status viatoris dumtaxat impediebatur , etiā aliud impedimentum habuit , melius ad intentum nostrum , fortiusque premit argumentum : Beatissima autem Virgo non aliud impedimentum habuit , vi Cœlum anima & corpore raptâ ingresseretur , vñ Paulus sub lege vniuersali ingressum mortalibus prohibente , vt potè à culpa originali exempta , quæ vñica fuit causa finalis dictæ prohibitionis iuxta vulgarissimam apud SS. Patres , Sacros Interpretes , Doctores , ac Theologos Sententiam , nihil ergo magis prohibens prò ipsa ante Filij Ascensionem , quam prò Pauli post eam , ac per consequens , si dispensatum fuisse ab ea lege , piè creditur , cum Cœlorum Regina dispensatum fuisse tempore asserto piè ad minus titula posteriori credi debet , iuxta praesumtum principium .

**82** Minor supposita p̄fissima , vera , certaque Sententia , quod videlicet Mariæ Sanctissima præuenta , siue exempta à lege communi transmutationis peccati originalis Adami in posteros , evidentissime infertur ; non enim vñquam subiecta , siue supposita fuit Legibus vñiuersalibus peccatum concernentibus , atque in eius pñnam à Deo latis , ac per consequens non sibi vñquam clausa fuit Cœli Ianua , quæ Regis alti Ianua dicitur , & per quam Paradisi portæ nobis aperte sunt , à Sancta Ecclesia acclamatur ; non igitur obicem aliud habuisse cogitari potest , quam inaccessibilitatis Loci Empyrei , & status viæ : si igitur eo non obstante Paulus fuit corporaliter raptus in Cœlum , cur non Maria ?

**83** Ex his satis colligi valet , quam liberè exaduerso asseratur raptum huiusmodi communi Ecclesiæ traditioni , & Doctrinæ aduersarii , non enim illa traditio , siue Doctrina ultra legem ingressum in Cœlum mortalibus prohibentem , cui contradicat ante Christum adducitur , nisi quod nec Christus , nec nullus eorum , qui cum eo surrexerunt , Cœlum ascendit , nisi post completos dies à Resurrectione ; liberè inquam hoc velut contrarium asseritur : notissima namque sunt mysteriosa motiva , ob quæ Christus detineri voluit in hoc Mundo eo tempore , captiuosque cum ipso , non obstante , quod tam ipse , quam illi in statu compræhensionis iam essent , quasi exinde arguere liceat , non potuisse in Cœlum immediatè post Resurrectionem etiam stante lege inaccessibilitatis , & si non pro ipso , sed pro Redemptis lata , ut cum ipso ascenderent .

**84** Nec minus liberi sunt discursus , motivaque , quibus asserta eleuatio , aliæque huiusmodi à Ven. Authore narratæ vanæ , & superflua existimantur , et videlicet , quod ad nihilum deseruissent , non quis

dem (arguitur) ut oculis Deum Maria videret, quem visione imaginaria in terris posita videre poterat, nec ut à Deo, & Angelis videretur, quandoquidem ipsam in terris videre poterant, liberæ, inquam, nè dicamus futilles, sunt rationes istæ, talesque esse exemplo raptus corporalis Pauli quisque agnosceret; ad id tandem, quod velut ridiculum, & incredibile putatur, quod videlicet interim ac Maria in Cœlum euecta extitit, unus Angelus eius locum, & personam tenens inter brachia S. Annæ inuolutus remansit, nè Mater absentiam Filiolæ animaduerteret, verba, quibus Ven. Scriptrix factum recenset in responsionem afferuntur num. 179., hisque suppositis, quid velut ridiculum, & incredibile videri valeat, humanam mentem capere nequire num. sequen. Sacrae Scripturæ exemplis concluditur.

## O B S E R V A T I O X X .

Pag. 129. num. 181. super verba num. 334.

Quibus asseritur, quod dum Maria vix nata in Cœlum fuit euecta, vox de Throno exiuit dicens: MARIA vocabitur electa nostra: quod Nomen in Sacratissimo Trinitatis Consistorio fuit decretum, & post dies octo in terris imponendum ordinatum, post quos multitudo Angelorum descendit de Cœlis scutum portantium, & in eo Nomen MARIA scriptum, seque Matri felicissime manifestarunt dicentes, qualiter Nomen illud Diuina Prudentia Filiolæ suæ dederat, eidemque ab ipsa, & Ioachimo imponendum ordinauerat.

85 Opponitur, non vtique, quod Nomen MARIA à Diuina Prudentia fuisse ordinatum asseratur, sed cum sciatur (inquit Observator) ex una parte, quod Deus nihil imperfectum operetur, & ex alia certum sit, quod sufficeret unus instinctus, una inspiratio interna, vel unius Angeli expeditio, qui Nomen MARIA Genitoribus imponendum nunciaret, quidquid desuper Mater de Agreda narrat, inuentio est solius suæ phantasie. Si etenim ad manifestandum Nomen IESV imponendum, sat fuit Angelus vous, qui id Mariæ, & Iosepho nunciaret, idem, vel alias sufficere potuit ad nunciandum Nomen MARIA Parentibus: inuerosimile præterea videtur, quod tot cœrimonie, quot Mater de Agreda narrat, interuenient.

86 Respondeatur pag. 130. num. 183. verba Ven. Authoris, quæ inconcinna, circumcisæ, nudataque ab eius spiritu adnotantur, ad literam præmittendo à num. 184. usque ad 187., quæ si dignè, si diligenter, si quod primum est, piè considerentur, factum narratum non velut inventionem phantasie Dei Famulæ, non velut inuerosimile, siue incredibile, nisi liberè, siue gratis existimari debere, nec posse agnosceret aperte, apertiùs tamen ex motiis ad huiusmodi Iudicium adductis: Quod nimis tanta Angelorum multitudo ad annuciandum nomen MARIA Genitoribus Filiolæ suæ imponendum superflua fuerit, quandoquidem unus ad id instinctus, una inspiratio interna, vel unius Angeli expeditio satisfuerit, vii sicut unus ad annuciandum Nomen IESV. Quis igitur

hæc audiens non vanam, liberamque potius inuentionem esse ad impugnandum factum narratum? Quod Deus nihil vanquam imperfectum operetur, fatemur; quod deinde satis fuerit unus instinctus, vna inspiratio interna Parentibus immixta, vel unius Angeli expeditio, etiam fatemur, si ita Deo placuisset, inde tamen arguere uno, vel altero ex his modo factum fuisse, arguere non licet, & minus velut inuerosimile, siue incredibile, & longius inuentionem phantasie afferentis id factum fuisse mediante Angelorum multitudine.

- 87 Porro Ioann. 20. v.12. dicitur de Magdalena: *Vidit duos Angelos sedentes unum ad caput, & unum ad pedes: & Lucæ 24. v.4.: Ecce duo Viri steterunt iuxta illas in ueste fulgidæ: Astor pariter 1.v.10.: Ecce duo Viri adstiterunt iuxta illos in uestibus albis, qui & dixerunt Viri Galilei &c., vt quid igitur duo Angeli, vt nunciarent Mulieribus Christum surrexisse? vt quid pariter (prætermisis alijs exemplis Sacrae Scripturæ) duo alij Angeli, vt Apostolos confortarent, certioresque facerent Iesum ab illis iam assumptum ad eos iterum venturum? quandoquidem ad id unus instans, vnaue inspiratio interna, vel unius Angeli expeditio sufficeret? num inuentio phantasie scribentis? num inuerosimile, siue incredibile putari potest duorum Angelorum destinatio? absit; si deinde tam præcessi nonnis annunciatio consideretur, congruentissimam fuisse Angelorum multitudinem, & quidem eo apparatu, & fausto, quo Nomen MARIA sculptum, siue scriptum ab Angelis portabatur iuxta narrationem Ven. Authoris, quis non confitebitur?*

- 88 Idem contigisse in annunciatione Nominis IESV eadem expressè affirmat part.2. num.113. verbis relatis pag.133. num.190., nec id opponitur Textui S. Lucæ 1., quo dicitur S. Gabrielem ad id fuisse missum, ac si Angelos alios excludat positiuè, sed nominatur expressè solus ipse, quia erat Dux, Princeps, nupciisque principalis ad legationem destinatus, immò ex his, quæ idem S. Lucas in Natiuitate Christi contigisse narrat cap.2. v.13.: *Facta est cum Angelo multitudo Militiæ Cœlestis: Satis congruenter colligitur id ipsum euenisse in alijs occasionibus non minoris momenti, sed vt quid desuper moram facimus? est ne præfata narratio contra fidem, bonos mores, doctrinam Ecclesiæ? nec probatur, nec probari valet: adducitur ne posituum efficax aliquod fundatum incredibilitatem, vel impossibilitatem facti narrati convincens? minimè; gratis ergo, & sine causa innocens Scriptrix impugnatur.*

### O B S E R V A T I O X X I .

Pag.134. num.192. super verba num.334.

- Nimirum: Partus S. Annæ ita purus fuit, vt purificari non eguerit, idque ipsum afferens B. Virgo introducitur num.359.
- 89 Opponitur: id expressè aduersari Sacro Textui Lucæ 12. v.5., ibi: *Si Mulier suscepto semine pepererit Fæminam, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus sanguinis, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Re.

- 90 Respondetur pag. eadem à numero 193. usque ad 198., & quoniam sola verba Ven. Authoris, quæ circuncisa iuxta morem notantur, huic oppositioni plenè occurunt, ea ut iacent præmittuntur numer. 194., quibus ad literam legem, & præceptum de purificatio- ne Mulieris, quæ Exeminam pareret Leuitici describit, hisque re- censitis insert dicens; *Partus felicissimæ S. Annæ adēd purus, Et mundus fuit, quantum Diuinæ sue Filiæ expediens, ac decens erat, ex qua puritas in Matrem redundabat, Et quamvis ex parte purifi- cari non egeret, ipsa nibilominus debitum legis punctualiter soluit, Et impleuit immunda apparet in oculis hominum Mater, quæ im- munis erat à pensionibus, quas lex purificari iubebat.*
- 91 Hæc Ven. Abbatilla, cuius narrationem immeritò Sacro Textui, quem ad literam præmittit, aduersari dicitur; constat equidem ex ea primò S. Annæ partum purum, & immunem fuisse à pensionibus, & immunditijs, quæ partus aliarum Mulierum communiter comi- tantur, vel sequuntur, secundò eam puritatem, & munditie nata- lem fuisse, qualis decens, & expediens erat Filiæ Diuinæ, unde ea puritas in Matrem fluēbat. Tertiò, quod ex ea parte, siue cau- sa non indiguit S. Anna purificationis legalis, & minus spiritualis, quia Sancta erat ut ipsa Sanctissima Filia Famulæ sua testatur ver- bis exaduerso citatis, est que piè credibile, videlicet: *Ego, absque labore concepta opus non habui, ut ad Sacerdotem accedens purificarer; Idem de Matre mea, quia Sancta erat: Quartò tandem, quod eo non obstante, legis præceptum punctualiter impleuit S. Anna,*
- 92 Horum quatuor Tertium dumtaxat velut contrarium Sacro Textuis ritum purificationis præscribenti, notatur, quod videlicet partu- S. Annæ ita purus asseratur, ut purificationis non eguerit: Sit at men in quo partus mundities adstruitur, si qualis, & quanta fueri- ea puritas, si causa, si origo illius, si legis tandem debita pun- ctualiter impletio iuxta literam, mentemque expressam narranti, perpendantur, eam narrationem non aduersari, sed potius confor- mari apparebit.
- 93 Semel etenim, quod huiusmodi partus purus, & immunis fuerit à sordibus, siue immunditijs, quæ partus aliarum Mulierum comi- tantur, vel consequuntur, necessariò indè sequitur, S. Annam ea ex parte purificari non indiguisse; purum namque, & mundum ea parte, qua purum, & mundum est, non opus habet purificari, ut luce clarius est; sed partus S. Annæ purus, mundusque fuit ab im- munditijs, & pensionibus solitus in cæteris Mulierum partibus, hoc est à sanguinis profluvio, & alijs huiusmodi: non ergo eis pu- rificari indiguit: minor hæc multis persuadetur. Primò ratione congruentissima, quam Ven. Scriptrix insinuat velut causam pu- ritatis, & munditiei partus S. Annæ: *Qualis, Et quanta ( inquit ) decens, ac expediens erat tām puræ Filiæ, unde puritas in Matrem redundabat: Cum itaque Sanctissima Filia purissima immaculata concepta; in nullo corrupta fuerit, vii SS. Patres uno ore faten- tur, exinde velut ex fructu, siue effectu colligenda, immò & sta- tuenda est puritas, & immunitas Matri in eius partu ab omni im- puritate communi in aliarum Mulierum partibus.*

- 94** Secundò ratione à puritate eidem congruentia ionixa pagin. 136. num. 197. deducta ex puritate S. Annæ in actua conceptione, siue generatione Sanctissimæ Filie MARIE, cui adiungi potest alia congruentia subillata ex sententia pia valde probabili, quam propugnant quamplures non leuis notæ Authores, quod videlicet S. Anna immunita fuit à doloribus in partu, qui reliquos partus comitantur post Adæ peccatum, ex eo, & propter ipsum, atque in poenam eius inflatos, & causatos iuxta sententiam illam Genes. 2. *In dolore paries Filios*, & à quibus Eua, & ab ea descendentes immunes fuissent, si in statu innocentiae ipsa persecuerasset, uti communis tenet sententia: non ergo S. Anna dolores sensit in partu, quia nullam sensit libidinosam concupiscentiam in concepiendo Mariam, uti ait S. Damascen, loquens de partu Mariæ Sanctissime lib. 4. de Fide cap. 15.: *Quia voluptas non anteivit, nec dolor quidem in partu subsecutus est; Qui consonat Suarez tom. 2. in 3. part. disputat. 3. sect. 3. dicens; Dolor partus respondet libidini, & voluptati Conceptionis.*
- 95** Cum igitur Conceptio actua Mariæ facta fuerit absque ulla in Parentibus libidine ex dictis Observation. XII. respondendo, absque ullo dolore Matris eius partus fuit, id quod confirmatur exemplis aliarum Mulierum, quæ ob specialem Dei gratiam priuilegium, siue dispensationem exemptæ à doloribus partuum narrantur, uti de Matre Moysis Josephus libro de antiquitate cap. 9., de Matre S. Lyduuinæ Thomas à Kempis in huius Sanctæ vita par. 1. cap. 1. & De Anna Ostrobiæ Ducissa in vita S. Stanislai Kostha. Si igitur S. Anna in suo partu exempta fuit à doloris pensione iuxta præstatam piam sententiam, necesse est consequenter dicere immunem, fuisse à ceteris pensionibus, & accidentibus impuris in partu purissimæ Dei Genitricis,
- 96** Ex his clare cognoscitur, quam immerito Doctrina Ven. Authoris Textui Sacro Leuitici aduertari existimetur: Non enim ipsa assertis S. Annam absolutam fuisse à lege prescripta purificationis ex Divina dispensatione, uti non nemo cogitauit, sed cum limitatione, ea nimis ex parte, qua eius partus, & mundus fuit, immunita ab illis impunitatibus, & sordibus, à quibus ceteras Mulieres purificari lex iubebat, immo etiamsi asseruisset S. Annam exemptam fuisse absolute à lege adimplenda ex Divina dispensatione, siue eam legem locum in ea non habuisse ob exemptionem à sordibus legalibus, que erant motuum, siue finis legis, non proinde eidem legi aduersari putari debet, eò & maximè dum ipsa Ven. Author palam affirmat, S. Annam debitum legis punctualiter soluisse immundam in oculis hominum apparentem, non quidem ex necessitate, sed ex humilitate, & obedientia, uti eiusdem Sanctissima Filia velut humiliata, & obedientissima postmodum fecit, non obstante, quod partus eius purissimus undequeque fuerit: Non ergo percipitur, nec percipi valet, quo motivo exaduerso assertatur, Ven. nostræ Abbatis narrationem legem purificationis prescribentem Textui Sacro opponi.

## O B S E R V A T I O XXII.

Pagin. 136. num. 199. Super verba num. 444.

Quibus dicitur, quod cessante visione intuituā Diuinitatis in  
Maria, dum in Cœlum corporaliter electa extitit, alia successit vi-  
sio imaginaria, & tunc Seraphin de Domini mandato ornarunt, modò  
ab Authore quartæ Censuræ, prout à Ven. Scriptrice narratur, im-  
pugnatur.

97 Opponitur, video, ( inquit ipso ) quod Mater de Agreda ea orna-  
menta materialia applicat rebus spiritualibus, per illaque signa,  
varias virtutes, dona, & priuilegia Beatissimæ Virginis, vellem  
tamen scire pro quo symbola illa inseruiebant? ad quem dirigeban-  
tur? non certò ad Deum, qui absque illis sciebat Dona, virtu-  
tes, & priuilegia, quæ eidem concederat, non ad Angelos, vt  
de dignitate, excellentijsqæ Mariæ dignum efformarent conce-  
ptum, quem altissimum iam habebant, non ad Beatos, quia nul-  
lus tunc erat in Cœlo; non denique ad homines, quia non illam  
nec sursum, nec deorsum videbant, non denique ad ipsam Vir-  
ginem, quia non tunc dignitatem Dei agnouit, prout ipsa etiam  
Mater de Agreda fatetur: Dona præterea supernaturalia, quæ  
recepérat in se ipsis cognoscebat, prout ipsa quoque ait, & qui-  
dem sublimiori modo, quām per signa illa materialia; superflua  
igitur sunt hæc ornementa, ac præiudicē non facta, quia Deus su-  
perflua non operatur.

98 Deinde ( prosequitur Observator ) res digna risu est, quod ait Ma-  
ter de Agreda, quod videlicet Sanctissima Trinitas super caput  
Virginis posuit Diadema Imperiale materiæ, & gemmarum in-  
estimabilium, quo ipsam in Sponsam suam, simulque Cœli Impe-  
ratriçem declarabat, atque in horum fidem candida vestis, qua  
induta, notis aureis, ac perlucidis intertexta erat, quæ dicebant:  
*Maria cœterni Patris Filia, Sponsa Spiritus Sancti, & veræ lucis  
Mater: sed hunc ultimum titulum non tunc Diuina Domina intellexit, benè verò Angeli.* Item varijs in locis suæ historiæ docet ipsam  
Beatam Virginem ante Incarnationem ignaram fuisse, quod futu-  
ra esset Mater Dei, quod certissimum est. Part. etiam 2. num. 55.  
Virginem quadam occasione fuisse à Deo interrogatam, quale  
esset nomen eius, & cum respondisset: *Filia sum Adæ:* Altissimus  
replicauit: *Ex nunc deinceps nomen tuum est: electa in Matrem  
Dei;* quæ verba soli cœlestes Principes intellexere, & B. Virgini  
fuerunt celata vsque ad tempus suum, taliter quod esse electam,  
& non amplius intellexit. Simile narrat euenisse num. 91., & duo-  
bus sequentibus, atque etiam num. 163. eiusdem partis 2., quod  
totum ( concludit Censor ) deludere esse dico, Diuina Maiestati  
indignum, & B. Virgini indecorum; Si etenim ipsa nescitura erat  
pro tunc, quod delecta esset in Matrem Dei, vt quid toties id ei  
ante oculos proponere? vt quid id ei nunciare modo, quod non  
caparet? hoc reuerà illudere est, & deludere Infantulam, ipsam  
que insanam, menteue carentem facere. Est ne credibile, quod

B. Vir.

B. Virgo facie ad faciem cum Deo loquens, ut describit Mater de Agreda, non attenderet ad id, quod eidem à Deo dicebatur? ubi sapientia? ubi prudentia Virginis?

29 Respondet pag. 138. à num. 202. usque ad 210., modòque restrin-  
gitur responso: Ad primum supposito, ut à principio exaduerso  
etiam Ven. Authorem per ornamenti, siue symbola illa materialia,  
quibus à Seraphinis ornatam describit, intelligi Diuinas Virtutes,  
Dona, & Priuilegia eidem collata, supposito pariter, ut ex ver-  
bis Authoris constat, ea omnia in Cœlo contigisse in visione non  
intuitiva, sed imaginaria, postquam illa cessauit, non nobis soli-  
dum fundamentum occurrit, nec assertur, quo ornatus ille per  
symbola, siue signa materialia Virtutes, Donaque B. Virginis re-  
presentantia velut superfluus, & inutilis existimetur.

300 Modum tamen, quo notatur Dei Famulæ narratio, videlicet vel-  
lem scire, pro quo signa illa inseruiebant? ad quem dirigebantur?  
haud admirati nequius ut potè improprium, & impertinentem;  
respondebat tamen num. 202. exemplis de promptis tūm ex Sacris  
Scripturis Prophetarum præcipue Apocalips: tūm ex priuatis re-  
velationibus, neconon ex historijs fide dignis, in quibus passim in-  
ueniuntur eiusmodi visiones imaginariæ; quibus magna Mysteria  
per symbola, siue notas significantur. Aptissimum deinde exemplum  
adducitur ex Canticis Canticor., in quibus Salomon sub me-  
taphora Sponsæ varijs schematibus, ac symbolis Beatissimam Vir-  
ginem describit, eamque à planeta pedis ad capitis usque verticem  
miris coloribus depingit præcipue cap. 4., & 6. eius Virtutes, Do-  
naque describens; Sancta præterea Ecclesia in S. Agneta Virginem,  
& Martyrem in Officio Diuino, quod cunctis recitandum proponit,  
speciale suppeditat exemplum, de se narrante, si non maiora simi-  
lia admodum his, quæ Ven. nostra de Virginis ornamenti in vi-  
sione imaginaria recenset, ut videre est, de quibusque omnibus  
eadem fieri posset curiosa inquisitio: *Vellem scire.*

301 Ad secundum etiam (prætermisis impertinentibus discursibus, ter-  
minisque minus proprijs, quibus proponitur) verba Ven. Autho-  
ris num. 206. producta faciunt satis: loquens igitur de ornatu Ma-  
riæ in Cœlo facto modo insinuato num. 9. exaduerso citato inquit:  
*In his arcanis admirandis Diuina Regina Maria absorpta erat in Di-  
uinitatis abyssu, eiusque infinitarum perfectionum, Dominusque di-  
sposuit, quod ipsa sic absorpta non attenderet ad ea cuncta, quæ con-  
tingebant, eaque propter celatum fuit ei Sacramentum, quod electa  
eret in Matrem Dei ad tempus usque præordinatum, & hic de causa  
titulum Maternitatis Dei symbolis expressum, atque de ore Altissimi  
prolatum non tunc intellexit, quia Deus ita ordinavit, in quo nulla  
est repugnantia, & minus quid risu dignum, longiusque illudere,  
siue deludere Mariam, ac velut iofanam, menteue carentem  
ipsam facere.*

302 Quod miris exemplis Sacrae Scripturæ explanatur pag. 40. num. 107.  
& sequentibus, quibus benè pensatis omnes discursus desuper  
exaduerso efformati evanescunt. In primis Luke 18. v. 3. , & seq.  
alloquens Christus Discipulos suos dixit: *Consumibuntur omnia,  
qua scripta sunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim Gen-  
tibus,*

tibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam occident eum, tertia die resurget: subditque Sacer Euangelista: & ipsi nihil intellexerunt, & erat verbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur: Aliud deinde exemplum ex eodem Luca c. 2. v. 50. adducitur num. 208., ibi = Respondens Iesus Matri, & Iosepho ipsum alloquentibus, & interrogantibus: Filij quid fecisti nobis sic? Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te: dixit: Nesciebatis, quod in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse: & subdit etiam Euangelista: Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutum est ad eos.

103 His exemplis (alijsque prætermissis) argumentum hoc efformatur: Discipuli Christi nihil intellexerunt ex his, quæ à Deo expressè de Passione sua eis affatus est, si non tunc, sed statuto tempore eamdem passionem erant intellecturi, si verbum tam peruum non intellexerunt, sed absconditum erat illis, ut quid totiès futuram Discipulis suam Passionem ante oculos eis proponere? & planè plusquam Matri suæ Maternitatem Dei futuram? fuit ne in Christo Apostolos deludere? fuit ne indignum eius Maiestati; fuit ne illis indecorum, fuit ne tandem illos insanos, menteue carentes facere? absit id cogitare: idem argumentum ex alio exemplo adducto efformatur: *Ipsi non intellexerunt verbum, quod Iesus locutus est ad eos*, Mariam scilicet, & Iosephum, & quidem sensum adeo peruum habens: quomodo non? ubi est Sapientia Matris? est ne credibile quod Beatissima Virgo facie ad faciem cum Pueru Iesu eius filio loquens non attenderet ad id, quod tam clarè Filius dicebat? ut quid ergo ad oculos, immo & ad aures ponere quod non fuit intellectum? asseretur ne id fuisse Matrem deludere, indecorum Maiestati Christi, indignum B. Virginis, insanam ipsam facere, siue declarare? absit etiam eiusmodi cogitare.

104 His exemplis facile intelligitur, qualiter, & quare B. Virgo in casu præsenti videns visione imaginaria symbola sive notas, in eisque characteribus aureis titulum Maternitatis Dei inscriptum, & ore Altissimi prolatum, non tunc intellectus se futuram Dei Matrem; facile inquam intelligitur, eò & maximè, si ratio, quam Ven. Author insinuat, capiatur, quia videlicet ita Dominus disposuit, quod ipsa absorpta in Diuinitatis abyssu eius infinitarum perfectionum, atque in admirandis tam Diuinis Arcanis, absorpta inquam tunc non attenderet ad ea cuncta, quæ cum ipsa continebant; vndè igitur celatum fuit ei Sacramentum, siue non intellectus, quod electa esset in Matrem vnigeniti Patris ad tempus usque præordinatum; Id quippe omnes Spiritus cælestes intellectere, quia ad eos locutio Dei fuit directa, non autem paruula Maria, quia ita ipse disposuit, estque possibile in sana Theologia de locutione libera Dei.

## O B S E R V A T I O   X X I I .

Pag. 141. num. 211. super verba num. 400.

Videlicet : Dum Infantula Maria loqui cœpit, Matrem suam rogauit, quod sibi faceret vestem coloris similis illi, quo Moniales S. Claræ vntuntur, & num. 432. licentiam petijt à Deo emittendi quatuor Vota Paupertatis, Castitatis, Obedientie, & reclusionis perpetuae in Templo. Deus tamen votum Castitatis emittendi licentiam ei concessit, & num. 437. in obseruantiam Paupertatis, dum Templum commoratura adiuit, Magistræ Prophetissæ Annae tradidit quidquid à Matre sua ad usum necessarium acceperat præter liberculos quosdam, ac uestes, & tandem num. 439. desiderium illud emittendi quatuor vota initium fuit eorum, quæ à Sacris Virginibus Deo dicatis ex tunc fiunt.

**105** Opponitur dumtaxat, mirum nimis esse, quod in illa tenera ætate libris B. Virgo vteretur, quodque ea quæ ad usum necessaria erant, eius Mater non Magistræ, sed filiolæ traderet.

**106** Respondetur pag. 141. à num. 213. usque ad 248., quatuor, uti apparet extracta adnotantur, quibus omnibus, & singulis fusè fit factis, quoniam autem vnicè super verba illa ex num. 437. nota fit aliqua qualificationis, etsi nullius momenti, immo impertinentis ad effectum, de quo in præsenti, videlicet velut quid mirandum putando, quod Infantula Maria libris in illa tenera ætate vteretur, quæ plena erat Sapientia, quodque ea quæ ad eius usum necessaria erant, Mater S. Anna non Magistræ, sed Filiolæ tradidisset, si verba tenerissima quidem, quibus Ven. Author vota, desideriaque Diuinæ Puellæ sese Deo in Templo consecrandi, eiusque præsentationem describit, non siccis oculis, sed pijs Obseruator considerasset, eius admirationem in laudem potius conuertisset; Post plura namque admiranda opera, quæ de Infantula Maria narrat erga Pauperes præcipue num. 402. prosecuta inquit : *Non minus admiranda fuit humilitas, & obedientia Sanctissimo Infantis in admittenda instructione, in legendō, alijsque rebus, quibus tenera ætas illa imbuī solet.* Ita Parentes cum illa egerunt in legendō, alijsque instruendo illam, atque omnia admittebat, & adiscebat, quæ scientia infusa rerum omnium creatarum plena erat : *Silebat, & cunctos auscultabatur, ipsis Angelis tam insolitam, raramque prudentiam in paruula Puella stupentibus.*

**107** Hæc miranda sunt sanè, sed non in censuram, sed in laudem adnotanda : Si etenim Christus Dominus, uti docet S. Thomas cum communi Sanctorum Patrum, ac Doctorum Sententia in Infantia sua similem se alijs Infantibus exhibuit, suam Diuinitatem, & Sapientiam infinitam, qua plenus erat, celans, quid quod Infantula Maria eius futura Mater, & Imago, similem se alijs Puellis exhiberet admirandæ humilitatis, obedientiæ, & prudentiæ exemplum ostentans, scientiam infusam, qua de omnibus plena erat, occultans, hominumque admirationem excusans, in admittenda instruzione legendi, non Comedias, resque alias prophanas, sed libros

Spi-

Spirituales , vt supponitur , aliarumque rerum , quibus tenera illa  
ætas à Parentibus pijs , ac deuotis , quales erant Mariæ Sanctissimæ  
Genitores , imbui solet , sicque tandem similem Infanti Filio nasci-  
turo sese exhiberet , quæ simillima in omnibus , & per omnia , quan-  
tum fas est credere , fuit ? mirandum inquam sanè id in Censuram  
vocari , siue adnotari , nonque minus quod Mater S. Anna non  
Magistræ , sed Filiolæ , quæ ad eius usum in Templo erant necessa-  
ria tradidisset adnotetur , idque inconsiderata , sinistraque intelli-  
gentia narrationis , vt videre est .

O B S E R V A T I O X X I V.

Pag. 146. num. 229. super verba num. 545.

Videlicet : Exercitium prudentiæ regnatiæ , siue Monarchicæ  
velut unica Imperatrix Ecclesiæ sibi comparauit Maria , docens , ad-  
monens , ac regens Sanctos Apostolos in primitiua Ecclesia ad eam fir-  
mandam , in eaque stabiliendas leges , ritus , & ceremonias expedi-  
entes , & necessarias ad eam propagandam , instruxit pariter Reges , ac  
Principes Christianos , quotquot consilia petituri accesserunt , quorum  
plures , vt eam viderent , & agnoscerent post eius Filij Ascensionem  
venerunt , eius præcipue Consilijs usi sunt Reges Magi , quos ipsi  
edocuit quidquid in ipsorum , & Regnum Subditorum esset  
agendum .

108 Opponitur , non aliter nisi quod totum sit inuerosimile .

109 Respondeatur pag. 146. num. 229. non quia opus sit ; Cum nullum  
posituum fundamentum inuerosimilitudinem probans , vtì necesse  
erat , afferatur exaduerso , respondeatur tamen , & quidem adeò  
solidè , vt de prudentiæ Mariæ exercitio nullus supersit dubitandi  
locus ; ea præmittuntur , quæ cap. 9. à num. 531. usque ad 547. de  
ea Ven. Author pertractans ad miraculum describit , ac explanat ,  
omnes eius partes , & species viuissimis coloribus propriissimisque  
terminis describens ; nullamque Beatissimæ Virgini defuisse , sed  
omnes , & singulas in gradu eminentissimo aliarum Virtutum com-  
mensurato in ea eluxisse , & exercuisse concludens . Vnde meritè  
(inquit) propter hanc præcellentiam S. Ecclesia Virginem prudentissi-  
mam antonomasticè acclamat , & in specie ad exercitium prudentiæ  
regnatiæ , siue Monarchicæ , quod attinet , sufficiat (inquit) n. 545.  
citat . in omnium testimonium , quæ desuper afferri possunt sine ex-  
aggeratione audire eamdem Reginam dicentem : Per me Reges regnante  
per me Principes imperant , & Potentes decernunt Iustitiam . Si igit  
tur id verum est , & innegabile , sine nota aliqua graui haud valet  
putari inuerosimile B. Virginem in principio Ecclesiæ virtutem  
prudentiæ regnatiæ , siue Monarchicæ , & deinceps exercuisse ,  
camque gubernio directuo rexisse , & velut Magistram instruxisse  
in omnibus , quæ expedientia , necessariaque esse agnoscebat ad il-  
lam firmandam , & propagandam , vtì aliunde probatum extat Po-  
sitione principali class. a. Articulis præsertim III. IV. V. , & VI.  
vt videre est .

110 Ad id verò , quod inuerosimile peculiariter putatur , Mariæ nimis rūm prudentiæ exercitium cum his omnibus , quot quot ex diuersis Mundi partibus consilia petituri ad ipsam veniebant , & maxime cum Magis , qui ad adorandum Infantem suum accesserunt , id verosimile , nimisque credibile esse persuadetur tūm ex B. Alberto Magno num. 230. relato , tūm ex SS. Ignatio Martyre , & Dyonisio Areopagita numeris 231. , & sequenti productis , vt videre est . Concludimus itaque , velut inuerosimile putare , indeque negare in principio exercuisse in primitiua Ecclesia , & deinceps dum vixit , ipsam direxisse gubernio directuo , consiliatiuoque Apostolos , & quotquot ad ipsam accedebant edocendo , & instruendo super his , quæ expedire agnoscebat , sīnē nota graui aliqua audiri non posse .

## O B S E R V A T I O X X V.

Pag. 148. num. 233. super verba num. 792.

Quibus asseritur S. Iosephum inter Apostolos sedentem Mundum iudicare venturum .

111 Opponitur : quod super hoc nihil in Sacra Scriptura , traditione , vel Patribus habetur .

112 Respondetur pag. eadem num. 134. hoc fundamentum nullius esse momenti iuxta non semel dicta : Ultraquamquod , si non tantum Apostoli , vti est de Fide ex ore summae veritatis asserta , sed & quotquot ad eorum exemplum sua reliquerunt omnia , & secuti sunt Christum . Iudices cum ipso sedentes Mundum judicare venturi sunt iuxta expositionem Ven. Bedæ relatam num. 234. , quod S. Iosephus inter Apostolos sedens mundum judicare in eo sensu , quo de Apostolis dicitur , asseratur , absque aliqua nota denegari nequit .

## O B S E R V A T I O X X V I . , E T V L T I M A


Pag. eadem num. 235. super verba num. 222.

Quibus nonnulla Conciliabula Luciferi , cum Sequacibus colloctiones , siue confabulationes inter ipsos , & cum Deo narrantur .

113 Opponitur : ista colloquia , aliaque plura , quæ tam numero citato , quam alijs in locis à Matre de Agreda narrantur , meræ sunt imaginationes eius , indignaque , quod à Deo reuelata dicantur , ad hæc in summa reducitur oppositio ex varijs locis Ven. Authoris citatis exaduerso deducta .

114 Respondetur pag. 150. num. 239. Consilia , Conuentus , Conciliabula , collocutiones Luciferi cum Sequacibus , ex quo cum illis projectus est in Tartara pro machinandis insidijs , belloque inferendo siue per se , siue per eius membra , quæ sunt omnes iniqui , quorum ipse est caput aduersus Dominum , & aduersus Christum eius , aduersus Sanctissimam Deiparam , aduersus Homines , qui sunt de semine eiusdem , inijisse de facto , nonque ex tunc cessasse , nec cefare

sare die , ac nocte eos accusando , & persequendo , de Fide est : quamplura eiusmodi bella , & machinamenta Ven. Author non solum locis exaduersò citatis , sed alijs innumeris in particulari describit , at non sine crudelissimo furore , inauditisque modis in ipsam à Lucifero , & suis Exercitis , eò quod , edusque nunquam in Luciferi mentem venerat , ea fore manifestanda , vtì ipsa Dei Famula ex ore Beatissimæ Virginis edocta , ac præuenta affirmat par. 3. num. 306. quidquid itaque desuper scribit , ac referat , adeò consentaneum , si non expressum est in Sacris Scripturis , Prophetarum , Apocalips. , maximè , Sanctis Patribus , priuatis reuelationibus , & Historijs Ecclesiasticis , vt nisi omnia hæc meræ imaginationes , indignaque , quod à Deo reuelata dicantur , ea , quæ eius Famula locis citatis , alijsque citandis ad nostram cauthelam referat , huiusmodi qualificationis nota inuri , oppositumque asseri salua fide , nequire perspicuum est . Constatque ex dictis art. vltimo Classis secundæ Positionis sæpè sæpiùs laudatæ sub titulo *de medijs à Dæmonे aduersus Sanctissimam Dei Matrem inuentis* , deque insidijs contra ipsam per se , & per suos excogitatis , & applicitis , ampliusque ex infra dicendis demonstrabitur , & præcipue de colloca-  
tionibus Dæmonum inter se , & cum Deo .



# TER TIA CLASSIS

Sub Litera G.

## *De Observationibus super Partem Operis secundam.*



ÆC Historiæ Vitæ Beatissimæ Virginis Mariæ Pars secunda potissima, principalis est, vtpote continens vniuersam Christi Domini vitam ab eius Incarnatione ad triumphalem usque eius Assumptionem in Cœlum, quam integrum Ven. nostra Abbatissa describit, velut eius Sanctissimæ Matris exemplar, vt appareat, qualiter officia Matris, & Magistræ sub Filij magisterio quoad perfectam immitationem adamussim compleuit, viaque illius imago euasit. Quoniam igitur quamplures propositiones, Doctrinæ tam eudem Christum, quam eiusdem Sanctissimam Matrem concernentes velut nota dignæ hinc inde extractæ, & collectæ afferuntur, omnes, & singulas iuxta methodum, quam hucusque obseruauimus, in responsonem producimus, nullamque vel etiam minimam in ea historia contineri, quæ ad tenorem Decreti Generalis sacerdoti, praxisque Sanctæ Sedis communis impedire prout de iure valeat, demonstratur.

### O B S E R V A T I O P R I M A .

Pag. 151. num. 2. super verba num. 137.

- Quibus dicitur, quod Cor B. Virginis, dum Verbum Diuinum conciperet, tanto erga Deum amoris impetu fuit compressum, ut tres guttas sanguinis stillaret, ex quibus positis in loco naturali ad conceptionem Corporis Christi virtute Spiritus Sancti ipsum fuit formatum, ita quod materiam, ex qua humana nitas ipsius Christi fuit efformata, Cor Mariæ ministravit vi amoris verè, & realiter.
- Opponitur, quod hic modus loquendi difficultatem continere videatur: Primò quia amor non comprimit Cor, sed potius dilatat. Secundò: quomodo, secluso miraculo, tres illæ sanguinis guttæ transire potuerunt in uterum, dum in corpore humano via non appetet, per quam ex corde deuenire possit. Tertiò: quod exinde præiudicium inferri videtur veritati Maternitatis Dei. Eo etenim modo dicto nihil naturale esset ex parte Mariæ in Conceptione ista, non in primis materia illa eadem, quam aliae Mulieres ministrant, sed sanguis cordialis, siue ex corde: non modus; nam sanguis ille, si fuit ex corde stillatus vi amoris, Christus fuit pars cordis non uteri Mariæ, quod totum dignum est particulari reflexione: Quartò (additur in vna ex Censuris) in corde sanguis ille preparari nequivit virtute generatiua, cum ista

ista in corde non resideat; nec in vtero pariter, cum Conceptio ista facta fuerit in instanti, nec in corde ab alijs Mulieribus sanguis preparatur; Cum ergo non sufficiat, ut Mater Dei vera Maria dicatur, quod vtcumque ex eius sanguine Corpus sit efformatum, sed debet esse ex sanguine disposito, & preparato virtute generativa; Sequitur, quod sanguis ille cum non sic fuerit preparatus, non sufficeret ad materiae debitae ministracionem, ac per consequens ad veram Dei maternitatem saluandam.

- 3 Respondetur pag. 152. à num. 4. usque ad 12. inclusuè ex his, quæ dicta sunt art. 9. §. vnico Tertiæ Classis sacerdotiæ Positionis, ubi ex SS. Patribus, & Doctoribus ostensum est in primis Corpus Christi ex purissimis sanguinibus Beatæ Virginis fuisse efformatum, deinde sanguinem illum fuisse cordialem, siue ex corde Mariæ velut è fonte emanatum, ut etiam non plures, nec pauciores, quam tres guttas sanguinis, & hoc attento specialissimo innegabili concursu trium Diuinarum Personarum ad tantum opus perficiendum, ac denique Corpus Christi non fuisse efformatum in corde, siue iuxta Cor, sed in vtero Mariæ velut in loco communi, & naturali ad generationem, ut ipsa Dei Fama expressis verbis recensitis cum Sacro Textu statuit.
- 4 Quomodo autem Cor Mariæ vi amoris compressum sanguinem stillauit isque attractus in vterum, atque ex eo velut ex materia ibidem preparata, siue disposita Corpus Christi fuerit efformatum? humanus discursus, secluso miraculo, haud facilè capere valet. Id verumtamen S. Maria Magdalena de Pazzis lumine superno superfusa, ut piè creditur libr. 3. suarum intelligentiarum cap. 16. declarat verbis productis num. 5., quæ etsi obscuriora verbis nostræ Ven. Scriptricis, si perpendantur, ut exoramus, facilè in primis percipietur, quomodo Cor Mariæ Santissimæ intensissimo Diuini amoris incendio incandens, vel ebulliens quasi compressum guttas sanguinis effuderit, illisque attractis, & transfusis in vterum, Corpus Christi fuerit ex illis efformatum.
- 5 Dicere autem difficilè intellectu id esse, quoniam amor non comprimit cor, sed potius dilatat, si Anatomastici Philosophi consuluntur, facile id percipietur; facilius tamen, si verba Ven. Authoris perpendantur pag. 153. num. 7. recaesita: non enim ipsa ut S. Maria de Pazzis ait, quod motu, siue affectu solius Diuini amoris, sed aliorum simul videlicet turbationis ex Angeli sermone, admirationis, reverentiae, & humilitatis profundissimæ motuum Cor Virginis quasi compressum sanguinem stillasse; quis itaque dubitare poterit, siue difficile putare etiam attenta naturali Philosophia huiusmodi motus, siue affectus cordis non ipsum dilatare, sed comprimere?
- 6 Quomodo deinde sanguis ille transire potuit ex corde in vterum, cum via non appareat in corpore humano ad huiusmodi transitum, secluso miraculo, humanæ menti percipere difficile esse, haud dubitamus: Eo tamen non secluso, sed Spiritus Sancti cooperante virtute, ut interuenisse negare salua fide non licet, facillimè percipitur. Quod denique ex modo loquendi Ven. Scriptricis præiudicium veritati Maternitatis Dei, ut exaduersò

præsumitur, non inferatur, sed potius ea veritas confirmetur, conuincitur, immò melius, ac securius saluatur, quām in Sententia afferentium fœminas, ac proindè nec B. Virginem actiū concurrere ad filiorum generationem, quia semen earum, dicunt, imperfectum est in ratione seminis, nonque propterea aptum ad generationem. B. Virgo equidem (docet Ven. Author) sanguinem cordialem naturalem quidem, & proprium eiusdem, velut materiam aptissimam ad Christi conceptionem verè, & realitè ministrauit, eamque naturali virtute fæcunditatis, qua pollebat (non enim sterilis, infècunda, siue impotens erat) in eius utero, velut in loco communi, & naturali positam virtute Spiritus Sancti obumbrante, & cooperante, præparauit, ac souit, vt ex ea Corpus Christi verè, & realitè formaretur, in eodemque instanti animaretur, animatumque Diuini Verbi Personæ vniretur, veraque sic diceretur, & esset Mater Dei. Id quod miris, purissimisque terminis eadem Dei Famula explanat pagin. 154. num. 12. recensitis.

## O B S E R V A T I O II.

Pag. 155. num. 13. Super verba num. 138.

Quibus afferitur computum annorum à Creatione Mundi usque ad Natiuitatem Christi iuxta supputationem, quam tenet Ecclesia fuisse reuelatum velut certum, & verum.

- 7 Opponitur: id subsistere non posse vtpote contrarium computationi annorum iuxta editionem vulgarem, quam velut canonicam in Ecclesia tenendam Sacrosancta Tridentina Synodus statuit, ac declarauit, cuiusque propterea computui tanquam certo, & vero de fide Catholica standum est, ac per consequens reuelatio de certitudine, & veritate computus annorum, quem refert Ven. Mater de Agreda, subsistere nequit.
- 8 Respondetur pag. eadem num. 14. & sequen., hanc nimirum difficultatem non tam esse contra Ven. nostram Scriptricem, quam contra S. Romanam Ecclesiam eundem computum annorum sequentem iuxta editionem Septuaginta Interpretum, cuius auctoritas magni ponderis semper fuit in eadem Sancta Ecclesia. Famulam igitur Dei afferere velut certum, & verum sibi reuelatum, id quod facto celebrat, & annunciat, comprobatque ipsa Ecclesia in Martyrologio, quod in perugilio Natiuitatis Domini solemniter decantat, adeoque grauissimo fundamento, & auctoritati innixa subsistere non posse, haud affirmari licet sine præiudicio eius auctoritatis.
- 9 An autem oppositio, quæ existimatur inter vtramque editionem sit, & qualiter conciliabilis, ingens fuit semper controuersia, quam hucusque S. Ecclesia non decisit. Non ignoramus, quoniam in Sacra Rituum Congregatione agitatum fuisse, vtrum computus Martyrologij Romani mutari deberet, vtpote non consonans computui vulgatae æditionis? nihil tamen desuper resolutum fuit, sed continuari permisum attenta immemorabili obseruantia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tantæ auctoritati innixa, idque

idque alias ut piè creditur, non sine speciali Dei prouidentia, ex immediatè dicendis, qua Sacris Concilijs, & Congregationibus in nomine suo assentiam promissam habet, vtì & ipsa Venerab. Scriptrix, non semel, sed præcipuè docet p.3. num.504. verbis Beatissimæ Virginis ipsam instruentis ad Venerationem erga Sacra Concilia, & Congregationes, debitamque obedientiam his, quæ in eis decernuntur, ac iubentur.

- 10 Dictum est: *non sine speciali prouidentia ex immediatè dicendis:* licet enim non defuerint grauissimi Authores, immo & SS. Patres, Sacrique Interpretæ, qui apparenter dictam oppositionem conciliare sunt conati, non tamen ad plenum id sunt consecuti: nouissimè tamen Illustrissimus Dominus Ioannes de Leiba vtriusque Iuris Doctor Sacrorum Canonum in Granatensi Vniuersitate, Vespertinæ Cathedræ moderator, ac deinde Episcopus Almeriensis in Hispania opus cunctis stupendum in lucem dedit sub titulo: *Chronologia vniuersalis à Creatione Mundi usque ad Nativitatem Domini, Sanctissimo Domino nostro Clementi Papæ XI. dictata pro expeditione Causæ Librorum de Mystica Dei Ciuitate Ven. Matris Mariæ à Iesu de Agreda, & in obsequium Sanctissimæ Virginis Mariæ Iesu Dei, & Domini nostri Matris anno 1701.*, in qua concordiam inter præfatas editiones ad Mathematicam usque consonantiam innumeris demonstrat, & ex Romanis Sixtinis earum correctionibus singularissimis, & reconditis Sapientiæ Ægyptiacæ eruditionibus cum ipsis concordare Chronologiam Martyrologij Romani luculentissimè ostendit, ænigmate reserato solutionum antinomia in Textibus Sacris Genes. 5. & 11. eousque à nullo enodato, vtì Viro desuper eruditissimo opus perlustranti apparebit, constabitque computum, quem seruat Sancta Romana Ecclesia certum, verumque esse, consonum computui, quem editio vulgata sequitur, ac per consequens subsistentem assertiōnem Ven. Matris Mariæ à Iesu.

### O B S E R V A T I O III.

Pag. 156. num. 16. super verba num. 139.

Videlicet: *Infantulus Iesus crescebat naturaliter in utero Sacro sancto et si magis liber, & exemptus ab imperfectionibus, quas Adami filij patiuntur in eo loco, & statu.*

- 11 Opponitur in hunc modum: prætermitto, vtrum in B. Virgine fuerint illæ superfluitates, quæ in alijs fœminis sunt naturales, & communes, solumque animaduerto id iuxta graues Authores non derogare, nec obstatre etiam in nihilo puritati Mariæ: Est enim fœmina, & illæ superfluitates sunt naturales fœminis quantumvis Virginibus, Sanctis, & puris, in quibus, quia naturalis debilitas impotens decoquere, & purificare quemdam sanguinem, illum expellit per partem illam. Cùr ergò dici potest obstante puritati B. Virginis naturalis eius conditio, & complexio fœminæ? *Sexus fœmineus* (inquit S. Augustinus) *vitium non est, sed natura:* Sed in hoc nolo (inquit Censor) detineri, solumque dico, quod negare Vtero Mariæ Sanguinem illum, ex quo natura-

turaliter proles formatur, est negare quod sit vera naturalis Mater Dei, negare deinde id, quo sustentantur, & crescent naturaliter Infantes in illo loco, & statu, absque ullo prorsus fundamento est.

- 12 Respondeatur pag. 157. num. 18. & sequentibus, non sine admiratione, quod in ullius piam, castamque mentem huiusmodi oppositio occurrit, Beatissimam nimurum purissimam Dei Matrem, fœminam sicut cæteras esse subiectam impuritatibus, quas ipsæ in statu innocentiae, si perdurasset, passæ non fuissent, uti communiter fertur, Diuinum neconon Infantem Iesum in eius vtero gestatum, & alitum impuro sanguine, & superfluitatibus illis, quibus cæteri Infantes Adami filij in illo loco, & statu sustentantur, & crescunt, idque nullatenus derogare, nec etiam in minimo obstare puritati Virginis. Porrò quis hæc audiens non mirabitur, ægrèque feret?

- 13 Beatissimam Virginem sexu, & natura fœminam esse de fide est, sed fœminam vniuersas in puritate tam mente, quam corpore supergredientem, inter omnes Mulieres benedictam, atque præelectam; licet ergo fœminam sexu, & natura esse, vitium non sit, nec vitiosum, esse tamen sicut cæteras suppositam, siue obnoxiam impuris superfluitatibus, quas, ut optimè Censor animaduertit, consurgunt ob debilitatem caloris naturalis, naturaque grauata concoquere impotens, per partem illam expellit, indignum prorsus puritati Virginis, piisque aures offendens est: Verum quidem est (adiungitur pag. eadem num. 20.) superfluitates illas peccatum non esse in se, prout nec surditas, cœcitas, fames, neque aliæ similes imperfectiones, esse tamen effectus peccati originalis, quatenus eo non perpetrato, humana natura his defœtibus, & miserijs obnoxia, non extitisset, ut negari non valet. Cum igitur Beatissima Virgo peccato originali obnoxia non fuerit, consequens est, ut ab huiusmodi impuritatibus immunis, non supposita fuerit: omnino ergo ab ea excludi, longèque remoueri debent, ne maximè peccati destructor Iesus Dei Filius in vtero Matris alimento sustentaretur, & cresceret, cui aliqua ex parte hi effectus peccati permissi essent.

#### O B S E R V A T I O IV.

Pag. 158. num. 23. super verba num. 167, usque ad 179.

Quibus asseritur B. Virginem in hac mortali vita participasse de dotibus gloriae Beatorum quantum ad corpus.

- 14 Opponitur: subsistere non posse; nam cum dotes solùm conueniant animæ, sequeretur inde quod Maria perfectè Beata fuisset, quod destruit statum viæ. Sequeretur deinde, quod Corpus Mariæ esset præter ordinem naturalem, ut ipsa Mater de Agreda fatetur num. 169. dicens: *Quin & de cætero præter ordinem aliorum corporum erat alterius dispositionis*, quod falsum est, alias corpus illud non esset eiusdem speciei, ac corpora aliorum hominum, verumque corpus humanum, ac proinde Verbum Divinum, non verum humanum corpus ex ea assumpsisset.

- 15 Respondetur pag. 158. num. 24. & sequentibus usque ad 33., ubi ex Textibus, & Contextibus Ven. Authoris insubstantem prorsus esse hanc oppositionem palam conuincitur. Cap. igitur XIII. presentis partis, statum describens, in quo Sanctissima Virgo post peractam in eiusdem utero Incarnationem permanit, post miram explanationem Dotum gloriae animae correspondentium, visionis nimirum, fruitionis, & comprehensionis, ut etiam Dotum corporis, quae gloriae accidentales Beatorum statum constituunt, de his omnibus B. Virginem participasse in hac vita non quidem permanenter, sed transeunter, non stabiliter, sed ad tempus, non absolute, sed *quodammodo* (verba sunt eius) docet, idque congruentissimis rationibus, & exemplis persuadet, ut videre est num. 27. loquens de Dotibus animae correspondentibus, ut etiam de dotibus corporis verbis recensitis num. 29. & tribus sequentibus, ut videre est etiam, quae si bene perpendantur ne dum oppositioni faciunt satis, sed insubstantem prorsus esse concludunt.
- 16 Non enim Ven. Author statuit, quod B. Virgo in carne mortali Dotes animae Beatae, sicut nec corporis gloriae habuit stabiles, & permanentes tanquam qualitates, siue habitus inditos, sed ad tempus, siue transeunter earum effectus experiendo, hisque miro prudenti modo utendo, ut ipsa expressè fatetur verbis producatis num. 32., quibus omne dubium, subillatio praesertim exaduersò, quod videlicet Maria fuisset perfectè Beata in hac vita mortali, expellitur.
- 17 Ad id autem, quod opponitur, & arguitur ex verbis illis Seruæ Dei de dote claritatis loquentis, quod nimirum Corpus B. Virginis praeter ordinem naturalem aliorum corporum erat alterius dispositionis, falsum scilicet esse, quia inde sequeretur, quod illud corpus alterius speciei esset à corporibus aliorum hominum, nonque verum humanum corpus, ac per consequens, quod Verbum Diuinum verum corpus humanum ex ea non sumpsisset, illegitimam, violentamque esse utramque illationem ex litera Textus conuincitur, nam dispositio praeter ordinem naturæ, quam Ven. Author Corpori B. Virginis tribuit, fuit pure accidentalis, teneræ videlicet, delicatae, ac defecatae constitutions, ex qua nonnisi inconsideratè inferre licet diuersitatem in specie eius corporis ab alijs humanis, & minus Diuinum Verbum verum corpus humanum ex ea non sumpsisse, quin id opus sit demonstrare, quod ad oculos patet ex ipso Textu.

### O B S E R V A T I O N E

Pag. 162. num. 34. super verba num. 203.

Quibus dicitur, quod *Ciuitas Iuda*, in qua commorabantur *Zacharias*, & *Elisabeth*, vocabatur nomine proprio *Iuda*, & ita Euangelista eam nominauit, etsi Doctores, Expositoresque communiter intellexerint, quod nomen hoc non erat proprium Ciuitatis illius, sed Provinciae, quae appellabatur *Iuda*, siue *Iudea*: & ratio est, quia Ciuitas illa paucis annis post Christi mortem euersa est, &

quoniam Sacri Expositores nullam mentionem de illa inuenierunt, intellexerunt S. Lucam nomine Iuda vocasse Prouinciam, & non Ciuitatem, siue locum. Indeque orta est opinionum varietas supra Ciuitatem, ubi visitatio Mariæ Sanctissimæ apud S. Elisabetham facta sit.

- 18 Opponitur incredibile esse, quod nedum Ciuitas illa, sed & nomen illius, si extitisset, intra adeo breve tempus obliuioni omnium data esset, vt nullus Historiographus, siue Scriptor, aut Expositor antiquus ex his, qui Palestinam descripsere, per traditionem saltim sciuerint ab habitatoribus illius Regionis, dum adeò punctualiter loquuntur de alijs Ciuitatibus dirutis: In sola ergo phantasia Matris de Agreda ea Ciuitas fabricata est.
- 19 Respondetur pag. 162. à num. 36. usque ad 42. præsentem oppositionem, & imposturam parùm distare videri à calumnia Iuliani, & Porfirij in S. Euangelistam Lucam, quod perfecti Historicorum munere functus non fuerit, eò quod nomen Ciuitatis, in quam B. Virgo S. Elisabeth visitatura intravit, prætermisit, cuius calumniæ meminit Baron. in Epitome ad Annales Ecclesiasticos, eamque refutat verbis recensitis num. 36. Cum venia tamen tanti Authoris eam non euacuat, vtì nec alij Authores numero immediato citati, qui ex varijs coniecturis, quale fuerit nomen proprium illius Ciuitatis assignant, sed reuerà nulla ex varijs opinionibus ibi recensitis difficultati, & minus calumniæ occurrit ad plenum.
- 20 Ad plenum dicitur: non enim ignoratur non deesse Authores, qui Sanctum Lucam vindicant ab ea oscitantæ calumnia tum ex eo quod Sacri Scriptores, vtì S. Augustin. libr. 16. de Ciuitate Dei cap. 2. num. 38. citatus animaduertit, non omnia Scriptis mandare curarunt, sed illa dumtaxat, quæ latens mysterium aliquod continere, & hominis saluti conducens videbatur: Cum ergò parùm ad id conduceret nomen proprium Ciuitatis illius exprimere, ideo illud prætermisit, tum quia non omnia cum omnibus circumstantijs minutatim, ac distinctè perfecti historici enarare tenentur, alijs nullus vel Sacer, vel Prophanus historicus perfectus inueniretur.
- 21 Hæc etsi satis opportuna sint, plenèque satisfaciant calumniæ propositæ, pleniùs Ven. nostra Abbatissa gratia illa speciali à Deo decorata conciliandi paucis verbis controversias inter Authores, urgentiùsque Sacrum Euangelistam Lucam vindicat à calumnia adnotata, cuius verba illa abiit *in montana cum festinatione in Ciuitatem Iuda* &c. ad literam quasi exponens inquit: *nomen proprium, ac priuatuum illius Ciuitatis, in qua commorabantur Zaccharias, & S. Elisabeth, esse Iuda, & ita expressit S. Lucas Euangelista, eam appellans Iuda, atque ita mibi manifestatum est, quamuis Doctores, & Expositores communiter sibi persuaserint, atque intellexerint nomine Iuda Prouinciam, ad quam pertinebat: atque tanta opinionum varietas orta est quænam fuerit Ciuitas hæc, in qua Maria Sanctissima S. Elisabetham visitatura adiit, & intravit.*

- 22 Expressius adhuc loquitur num. 209. verbis pag. 169. num. 40. productis, quibus rationem congruentissimam suæ assertionis adducit dicens: *Domum Zacchariæ, & Elisabeth, in qua peracta est visitatio, fuisse in eodem loco, ubi modò hæc Sancta Mysteria venerantur à Fidelibus, & licet Ciuitas Iuda, ubi Domus Zachariæ erat, funditus fuit euersa, non tamen Deus permisit, quod aboleretur memoria illorum locorum, in quibus tām veneranda Mysteria fuerant peracta vestigijs Christi Domini, Mariae Sanctissimæ, Baptistaræ, & Sanctorum eius Parentum consecrata: luce itaque Diuina (prosequitur) Fideles antiqui Ecclesiæ illas ædificarunt, & loca Sancta restaurarunt, ut ea luce, quadamque traditione veritas pateret, memoriaque tām mirabilium Sacramentorum renouaretur. Nosque fideles hoc beneficio frueremur illa venerandi, & adorandi, protestantes, ac confitentes Catholicam fidem in locis Sanctis nostræ Redemptoris.*
- 23 Ad pleniorum huius rei notitiam num. 210. animaduertit, causamque assignat, & exemplis persuadet euersionis plurium Sanctorum locorum, vt & Ciuitatis Iuda, Dæmonis nimirūm astutiam, furoremque incredibilem, & licet Ciuitas illa eodem furore partim ob incuriam Incolarum, partim ob infaustos evenitus diruta sit, Domum autem Zacchariæ, ob Sacraenta, quæ in ea fuerant celebrata, perire, & euerti pænitūs non permisit Dominus, vt nec alia loca Sancta, de quibus ipsa mentionem facit ibidem.
- 24 Ex his piè persensis satis perspicuè euanescit, & calumnia Iuliani, & Porphirij contra S. Lucam de oscitantia, quod nomen Ciuitatis Iuda, in qua fuerat peracta visitatio prætermisit, & silentium Scriptorum de nomine proprio Ciuitatis Iuda, tandemque nouitas, quam causare potest expositio Textus Euangelici, quam Diuina reuelatione ad literam, vt dictum est, Ven. Author exhibet, & vt pænitūs admiratio cesseret, & euanescat, concludimus pijssima maxima illa Angelici Præceptoris super illa Pauli ad Philippen. 3. vers. 15. quicumque ergo perfecti estis, hoc sentiamus, & si quid alter sapitis, & hoc vobis reuelatum est; quantò altius (ait Doctor) est vobis reuelatum, quod non mihi, non contradico, sed cedo vestra reuelationi.

### O B S E R V A T I O VI.

Pag. 165. num. 43. super verba num. 301.

Quibus asseritur, B. Virginem peccato originali, quo S. Ioan. Baptista in utero tenebatur ligatus, imperasse, vt ab eo eripretetur.

- 25 Opponitur: Chimericum esse hoc imperium, cum peccatum originale sit mera priuatio, eodemque iure B. Virgo potuisset precipere gratiæ, vt Ioannem ornaret, ita in una Censura, sed rigidiùs in qua: Si enim (arguitur) Mater de Agreda asseruisset, quod B. Virgo Deum rogauit, vt S. Ioannem à peccato originali mundaret, protinusque fuit exaudita, aut quod per aliquem actum internum, vel externum eiusdem Virginis velut instrumentum, Deus Ioannem

sanctificauit, posset sustineri, & credi, quod verò ipsa velut Domina peccato originali præciperet, falsum tribuit Virgini, estque modus loquendi scandalosus, peccatum etenim nequit ab anima tolli nisi mediante Djuina gratia, vtì definitur à Concilio Tridentino sess.6. Theologique omnes affirmant: Si itaque modo dicto Maria peccato originali imperauit, pari modo foret dicendum imperasse gratiæ, ac per consequens authoritatem, & dominium habuisse super ipsam, vt eam produceret, quod est impossibile: nam solus Deus eius est Author: eaque propter S. Iob loquens de peccato originali cap.14. dixit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* taliter quod nec humanitas eiusdem Christi, nisi vt coniuncta Diuinitati, & velut instrumentum eius gratiam producere valeat: Est igitur (concludit Author quartæ Censuræ) narratio Matris de Agreda falsa, scandalosa, occasionem præbens errandi simplicibus, & idiotis, quod B. Virgo sit, aut potest esse causa gratiæ.

26 Respondetur pag. 165. à num. 44. usque ad 55. inclusuè, modò que ex his, quæ ibi adducuntur, breuiter fit satis, supponendo cum Censore, quod si Ven. Mater contenta fuisset in afferendo, B. Virginem Deum rogasse, vt Ioannem in utero Matris à peccato originali mundaret, vel per aliquem actum internum, vel externum velut instrumentum eiusdem Virginis illum Deum emundasse, & sanctificasse, posset sustineri, & credi, si igitur id, & non aliud Ven. Authorem sensisse ostendatur, non chimericam, falsam, scandalosam, occasionemue errandi simplicibus, siue Idiotis præbentem, sed potius piissimam, pièque credibilem eius narrationem fateri debet. Id igitur ex Textu, ex contextu Authoris demonstratur num. 216. verba, quibus secundò Maria Elisabetham salutauit, dum solæ nimirum essent, eaque tenerissima præmiserat dicens: *Deus te saluam faciat cognata, & carissima mea, Diuinaque lux gratiam tibi elargiatur: hac voce (prosequitur) Mariae Santissimæ mansit B. Elisabeth plena Spiritu Sancto, adeoque illuminata interius, quod eodem tunc altissima Mysteria, & Sacra menta cognouerit: effectus isti (notentur hæc) & quos eodem instanti Infans Ioannes in utero materno persensit, redundarunt ex præsentia Verbi humanati in talamo Mariæ, ubi voce ipsius velut instrumento utens exercere cœpit potestatem, quam Pater Eternus dedit ei ad saluandas, atque sanctificandas animas velut Redemptori.*

27 Quibus in verbis planissimè Ven. Dei Famula afferit non Mariam, causam fuisse principalem Sanctificationis Ioannis, sed Verbum humanatum, qui potestatem sibi, vt Redemptori à Patre collatam ad saluandas, & iustificandas animas concessam exercere cœpit, & si mediante voce Mariæ velut canali, siue instrumento, vt ipsa Beatissima Virgo per famulam suam exponit verbis recentitis pag. 166. num. 47. huius tenoris: *Quanquam Altissimus me constituit canale, siue instrumentum, quo eis (Matri, & Filio) Spiritus Diuinus infunderetur, Elisabetham tamen taliter salutavi, ut ipsa salutationis meæ voce quandam Superioritatem exhibuerim ad præcipiendum peccato originali, quo eius Filius tenebatur, & è*

que ex tunc erat exsoluendus per verba mea, repletique Spiritu Sancto Mater, & Filius constituendi.

- 28 Ad hæc igitur conformiter prosecuta clausulam adnotatam referens inquit: & quia peccatum originale non contraxeram, sed ab eo immunis fui, ea in occasione Dominum, & imperium in ipsum habui, ei præcipiendo velut Domina, quæ de illo triumphaueram ob Altissimi præservationem, & non velut mancipium eius, ut omnes Adami Filii sunt, ut itaque Ioannes ab ea seruitute liberaretur, atque à vinculis culpe eximeretur, placuit eidem Altissimo, quod ego imperium in ipsum exercerem, ut potè quæ eidem nunquam fui subiecta.
- 29 Si igitur Ven. Dei Famula adeò expressè mentem suam aperit de Superioritate, Dominio, & imperio super peccato originali, & Sanctificatione S. Ioannis Baptista, id verbo humanato velut unico, & vero Redemptori, Authorique principali tribuens, Matri vero velut canali, siue instrumento eius voce mediante, narratio nostræ Ven. Scriptricis non falsa, sed vera, non scandalosa, sed piissima, non errandi causam simplicibus tribuens, sed pièque credibilis saltim estimari debet, ut etiam ab eodem Censori in eo sensu estimari videtur, & meritò, ut potè tradita à Sacris Doctoribus, nonnullisque SS. Patribus citatis pag. 167. num. 49., atque argumento hoc Theologico ineluctabili à paritate Sacramentorum roborata, quibus virtus gratiæ etiam primæ, ut Baptismi, exclusiuaque peccati originalis, causatiæ non ut causa principali conceditur, ea enim solus est Christus Sacramentorum Author, sed instrumentalis, siue morali, ut tenet Scotica Schola, vel etiam veræ efficienti phisicæ, ut Thomistica, cur ergo non in hoc sensu Beatissimæ Dei Genitrici Mariæ, quæ Mater Divina gratiæ ab Ecclesia salutatur?

### O B S E R V A T I O VII.

Pag. 168. num. 51. super verba num. 478. & sequenti.

Quibus asseritur tūm quod Christus natus est absque pelle illa, quæ dicitur Secundina, tūm quod natus est glorioſus, & transfiguratus, ut postmodum in Monte Thabor.

- 30 Opponitur: nulla quidem contra primam propositionem facta qualificationis nota, quam sola eius recitatione. Quantum autem ad secundam arguitur, quod sit contra communem Ecclesiæ traditionem. Ita in tertia censurarum serie, in quarta vero, quod sit contraria sensui Fidelium, & Sanctorum Patrum ex sequentibus motiuis: tūm quod natus fuit Christus flendo, sicut alij Infantes, in cuius Persona loquens sapiens dixit: c. 2. & ego natus accepi communem aerem, & similiter factam decedi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans: tūm quia nihil notius in Sacra Scriptura, quam duplex aduentus Christi primus in abiectione, & humilitate; Secundus in gloria, & maiestate, tūm quia Deus iuxta Apostolum misit Filium suum in similitudinem carnis peccati, non in carne, corporeue glorioſo, tūm quia iuxta eundem Apo-

stolum Christus Mundum ingressus Patrem alloquens dixit : *hostiam, & oblationem noluisti, Corpus autem aptasti mihi : tunc dixi : Ecce venio : tūm quia iuxta SS. Patres Diabolus in natuitate Christi non cognouit eius Diuinitatem , quia in nullo ab aliis discre- tum vidit , si autem natus fuisset glriosus , discretus ab aliis uti- que apparuisset , tum tandem quia SS. Patres rationem , & utilita- tem , variaque motiva assignant , quare Christus in monte Thabor voluit transfigurari , quæ non potuerunt concurrere in natuitate , non enim alias , quām sola Virgo Mater vidit .*

31 Respondetur pag. 169. num. 54. tūm ex Authore adnotat. 12., vbi tām authoritatibus SS. Patrum , quām rationum pondere occurrit præsenti oppositioni, tūm etiam ex priuata reuelatione, sive vi- sione , quam S. Birgitta habuisse desuper refert libr. 7. c. 21. si ve- rumtāmen verba Ven. Autoris obseruentur , facilis solutio patet. non enim absolutè Christum nascentem glriosum , & transfigura- tum describit , sed modificatiū , videlicet *vñ postmodum in Monte Thabor* : quomodo igitur id tunc accidit ? Euthimius in cap. 4. Math. respondet : *transfigurante corpore quidem propria forma ma- nente , Diuino Splendore modicum quidem in eo detegente , & faciem illam illustrante expressit* : clarius Doctor Angelicus par. 3. qu. 47. art. 1. conueniens fuit , ut Discipulis suis gloriam suæ claritatis ostendet , quod est ipsum transfigurari : & paulò post : ostendit igitur Christus in se ipso aliqua illarum Dotium inditia . . . nec tamen propter illa transfiguratus dicitur , sed propter solam claritatem , quæ pertinet ad aspectum personæ ipsius .

32 In hoc igitur sensu , modoque dumtaxat Christum Dominum orientem ex vtero Matris glriosum , & transfiguratum Sanctissimæ Suæ Matri , & soli se exhibuisse eius Famula describit , idest per solam ostensionem Dotis claritatis , qua facies eius resplenduit *sicut sol , itaut sol materialis non sit ei comparabilis* , verba sunt S. Birgittæ , vbi supra , nec id admiratione , & minus nota aliqua , sed pia credibilitate potius dignum videatur : quid enim verius , & frequentius , quām Christum exorientem ex vtero Materno ve- lvet solem contemplare , radios suæ claritatis spargentem ? Si præ- terea aliarum Dotium ostensionem subtilitatis præsertim non semel Christus fecit , dum videlicet ipse de vtero Matris exiuit , dum è Sepulchro surrexit , dum Iauis clausis , vbi Apostoli erant con- congregati , quid mirum ; quod exoriens etiam dotem claritatis exhibuerit , transfiguratusque in hoc sensu suæ Matri sese viden- dum ostenderit .

33 Nec motua exaduerso adducta ullius sunt momenti , immò potius , si benè pensentur , aut nimis , aut nihil probant . Primum , quod videlicet Christus plangendo natus fuerit , vt alij Infantes , quid nimis est; quod enim vagierit , postquam natus est hyemis rigorem , velut verus homo præsentiens conditus inter præsepio piè medita- tur Ecclesia , sed quod in ipso ortu , sive oriens vagierit , nec ex Ecclesia , nec ex illo sanctorum Patrum , & multo minus ex textu sapientis adducto dedaci valet : non enim verba illa in persona Christi nascentis dicta fuisse sine notoria violentia asserti potest , vt colligitur ex contextu immediato : *Dece mensium tempore coagulatus eram in sanguine ex semine hominis , & delectamento semini conue- nientia*

nienti. Cætera pariter nimis probant: probant siquidem nunquam Dominum fuisse transfiguratum, quod absit cogitare, si rationes tandem congruentiae pro huiusmodi claritatis ostensione, qua Christus Suæ Sanctissimæ Matri sese exoriens exhibuit pondarentur, id piè credibile esse apparebit.

### O B S E R V A T I O VIII.

Pag. 170. num. 56. super verba num. 480.

Quibus dicitur, quod dum Virgo peperit Filium suum primogenitum, duo Supremi Principes Michael, & Gabriel in forma humana corpore astantes in debita distantia ipsum manibus suis receperunt, eleuauerunt, & oculis Matris presentarunt summa reverentia, ad modum quo Sacerdos hostiam consecratam eleuat, & Populo exhibet adorandam.

34 Opponitur: hanc narrationem parùm decentem esse honestati Virginis: quæ si ad salutationem Gabrielis in forma humana turbata fuit, non permisisset, quod in eadem forma Michael, & Gabriel præsentes adstanter partus functioni, & absque oppositione Textui Sacro Lucae dicenti: Peperit Filium suum Primogenitum, pannis cum inuoluit, & posuit in Præsepio: & nihil amplius: In summa munus obstetricum ipsi geruerunt, quod Gelas. Papa c. 5. Romanæ reprobauit, & meritò: non enim puritatem Virginis decebat, quod corpus eius videretur, & libertate illius officij propria tangeretur. Deinde duo illi Angeli erant in forma humana Iuuenum valde formosorum, vndè quisque, quantum aures, imaginacionemque offendat hæc narratio, sentiet, quantumvis dicatur Angelos fuisse, Infantemque in debita distantia suscepisse. Ità præcipue in quarta Censura opponitur, dum in alijs maiori modestia superfacto hoc sermo fiat.

35 Respondetur pag. 171. num. 58., & in primis, quod narratio facti non opponatur Sacro citato Textui, ex eo quod solùm, & nihil amplius dixerit: Peperit filium suum primogenitum &c. ultra quamquod argumentum merè negatiuum est, ac propterea nullius momenti, ipsa Ven. Author quasi eidem occurrens hæc scribit: *Sacer Euangelista S. Lucas ait, quod Virgo Mater cum peperisset filium suum primogenitum, pannis eum inuoluit, & reclinavit in Præsepio: nonque declarat, quis de utero Virginio eius ad manus portauit: non enim id ad suum intentum pertinebat: numquid ( queritur) exindè, quod tam circumstantiam narratam, quam alias quæplures declarare omisserit, vt̄ est innegabile, eidem contrarii licet asserere? parùm tutum foret.*

36 Quantum ad secundum, quod obiicitur, si factum narratum à Ven. Authore sic se haberet, vt̄ exaduersò concipitur, vim aliquam fortasse faceret mentibus præcipue non se ultrà consuetum ordinem eleuantibus, sed terrenis peregrinis cogitationibus assuefactis: sed toto Cœlo distare ex Textu ipso num. 63. ad literam recitato conuincitur; clariū tamen ex contextu antecedenti n. 475., quo refert, quomodo Virgo Beatissima se disposuerit ad partum. Ibi enim postquam per horam vnam immediatè ante partum in visione

sione intuitiva abstractam Deiparam extitisse dixit, modum, siue formam hanc tenuisse in partus momento natrat verbis num. 65. recensitis, videlicet: *Stabat flexis genibus in Præsepio oculis in Cælum eleuatis, manibus iunctis, atque ad pectus pressis, Spiritu in Deum suspenso, in ipsumque transformata, & hanc tenens formam in termino ipso illius Diuini raptus unigenitum Æterni Patris in lucem Eminentissima Domina Mundo dedit: Sed quoniam non constat, quis eum de virgineo vtero exiens, Iesequie cum illo penetrans ad manus eius portauit, duo Principes, ait uti suprà in Textu adducto.*

- 37 Ex præactis purissimis tenerissimis verbis singula, quæ contra castissimæ nostræ Scriptricis assertionem obiectiuntur, facile evanescunt, Gelasium Papam obstetrices hoc munus solitas exercere ab hoc Diuino partu exclusisse, & meritò fatemur ob indecentiam, quod Corpus Beatissimæ Virginis libertate propria eiusmodi Officij à Creatura humana vlla videretur, & tangeretur. Sed numquid ex eo quod ipsa Angelos in forma humana corporea assistentes Diuino partui, Infantem Diuinum è Virgineo vtero enixum in manibus suis in debita distantia recipientes, munus Obstetricum gesisse inferre licet? Solius Censoris est suspicio, siue imaginatio: Vbinam præterea mentio Angelorum in forma Iuuenum pulcherrimorum, ut notatur? Id à solo eodem adiungitur, vt indecentia periculum exageret; Vbi deinde periculum, quod vterus Virginalis, aut oculis corporeis videretur, aut manibus tangatur? Beatissima Virgo iuxta verba præacta eius famulæ suis ordinarijs vestibus induta, & contexta erat, dum excessum illuminantis altissimum, quem narrat, passa, & genibus flexis perseverans Saluatorem edidit, excogitabitur ne, antequam orationi, & raptui se committeret, se denudasse? Vbinam tandem necessitas prò Obstetricibus, siue adiutricibus excogitatis? Prodiit Verbum Caro factum cum vtero, & vestibus etiam Matris se penetrans, ut ex narratione Scriptricis non obscure colligitur: Non ergo locus ullus, & necessitas fuit Obstetricum; Dum duo Principes illi Cœlestes manibus natum Infantem exceperunt, sepositi erant in debita distantia, ut non sinè energia Authrix animaduertit. Cum tamen oporteat Obstetricem, quam proximam esse Parturienti: hæc igitur Obstetricum, aliorumque absurdorum contra decentiam, & honestatem Beatissimæ Virginis imaginatio tantum abest, ut ex Scriptricis verbis potuerit apprehendi, ut potius haud admirari nequeamus, quomodo nihilominus alicui sinè notoria violentia, & inconsideratione occurrerit, sitque iniecta?

- 38 Id tandem ita contigisse, ut Ven. Author narrat verosimilius, & decentius reputat Suarez tom. 2. in 3. par. disput. 12. sect. 3. verbis productis pag. 173. num. 69. quibus quasi in terminis, siue in substantia idem ac nostra Ven. Abbatissa adstruit, solo discrimine intercedente, quod hæc Angelos Ministros fuisse in forma humana corporea expressè describit, non autem ita expressè Suarez, & si supponere videatur dicens: *Verosimile est Angelorum Ministerio fuisse susceptum (Infantem natum) & in manibus Virginis positum. Idque (adiungit) Dignitatem Christi decebat, & B. Virginis gaudium, atque amoris significatio dekebatur.*

## O B S E R V A T I O IX.

Pag. 174. num. 70. super verba 481.

Quibus referens Ven. Author natuitatem Christi, afferit, quod Personæ Diuinæ speciali modo præsentes fuerunt eiusmodi ortui, cælumque quasi desertum habitantium mansit: nam tota illa Cœlestis Curia in felicissimum Specum Bethlemiticum translata est, atque suum Creatorem in habitu nouo, & peregrino adorauerunt.

39 Opponitur non quod ea assertio quidquam non sanæ Doctrinæ contineat, sed quod Ven. Author non explicat qualis fuerit modus ille specialis assistentiae Sanctissimæ Trinitatis, neque est intelligibilis. Vellem itaque scire ( inquit Censor ) à Matre de Agreda, qualis sit hæc specialis assistentia? Si dicere forsan excogitauit eam constitisse in quadam prouidentia, & protectione particulari? hæc ultra esse in omni loco per essentiam, præsentiam, & potentiam aliud non importat. Præterea indubitabile est Deum speciali prouidentia adstituisse Mariæ prægnanti à primo instanti, quo Verbum concepit, nullusque Angelus Cœlum vñquam deseruit: Cur ergo in natuitate tanta Angelorum commotio recenseretur? Videtur Matrem de Agreda sibi figurasse, quod adueniente Diuino Verbo ad incarnandum, Pater, & Spiritus Sanctus remansissent in Cælo, quin ultra ipsum viderent clausum in utero Mariæ, eoque postmodum nato, descenderent, vt ipsum iterum viderent, simulque Angeli cum ipsis, vt ei curiam facerent, atque in habitu nouo adorarent.

40 Respondetur pag. 174. num. 72., sed reuerà non opus erat eiusmodi oppositioni satisfacere, vtpote innixa discursibus liberis prorsus importunis, & insubstantibus nulla autoritate, rationeue solida fulcitis. Sed quia omnes èd præcipue tendunt, vt sciatur, qualis fuerit specialis modus assistentiae Sanctissimæ Trinitatis Natuitati Verbi ex Matre Virgine, descensusque multitudinis Angelorum, Cœlo quasi deserto manente, ad adorandum Dominum in habitu nouo, & peregrino humano, ex ipsa Ven. Scriptrice num. eodem citato Censor scire potuit, ibi enim dulcissima colloquia inter Beatissimam Matrem, & Filium recens natum in brachiis tenentem, æternumque Patrem alloquentem referens ait: *tunc Diuina Domina intellexit, ac persensit Beatissimæ Trinitatis præsentiam, & audiuit vocem æterni Patris dicentem: hic est Filius meus dilectus, in quo mibi valde complacere.*

41 Ecce, quin opus sit ad vltiora progredi assistentiam, & præsentiam specialem Sanctissimæ Trinitatis manifestatam voce illa expressa *Æterni Patris: hic est Filius meus dilectus &c.* quis equidem audiens vocem illam de Cœlo delapsam super Christum, ipsumque designantem in Monte Thabor, vel illam quasi eamdem, quam recensent omnes Sacri Euangeliæ, dum Christus ipse in Iordanio à Ioanne baptizatus est, & Spiritus Sanctus in Columbae specie visibili super eum descendit: *tu es Filius meus dilectus, in te complacui mibi:* quis præterea Angelum Mariæ nunciantem, ac dicentem: *Dominus tecum, Spiritus Sanctus superueniet in te: vñ etiam*

etiam totam Sanctissimam Trinitatem venturam ; & mansuram apud diligentes se, vt S. Ioan. c. 14. idem Christus testatur, quis, inquam, hæc audiens, modum specialem assistentia, & præsentia Dei, totiusque Sanctissimæ Trinitatis ultra vniuersalem per essentiam, præsentiam, & potentiam ubique non fatebitur ? qualis autem, & in quo constiterit modus hic Specialis, Ven. Author satis expressit, nonque opus fuit per amplius explanare ; vnuquisque etenim facile intelligere, vel inferre valet alium non fuisse, quam quem exprimunt Textus præcitatii, nimirum per signa, siue effectus speciales manifestatos.

- 42 Quantum ad quæsitum, quod exaduersò excitatur, cur nimirum in nativitate Christi tanta Angelorum commotio, ac descensus, Cœlo quasi deserto manente, ad adorandum suum Creatorem natum in habitu nouo humanitatis induito, Textus Euangelicus ille : *facta est cum Angelo multitudo militiae Cœlestis* : adeò perspicuè satisfacit, vt sine notoria oppositione asserta commotio, ac descensus haud negari valeat, quin clausula illa : *quasi Cœlo deserto manente* : notæ, siue admirationi motuum præbeat : illud enim aduerbiū *quasi* per hiperbolem dictam eam clausulam nostrum modum concipiendi modifcat, ac restringit, vt mille exemplis Sacrae Scripturæ huiusmodi figura utentis constans fieri posset.

## O B S E R V A T I O X.

Pag. 176. num. 78. super verba num. 522.

Videlicet : *Maria, & Ioseph contulerunt reuelationes sibi factas*, quod videlicet Infans vocandus esset IESVS, & num. sequenti Exercitus Angelorum de Cœlo descendit nomen IESV singuli habentes scriptum in pectore, & veluti capita, siue Duces Archangeli Michael, & Gabriel splendore cæteros superantes, nomen illud in manibus quasi in scuto maioribus Characteribus scriptum portabant.

- 43 Opponitur : eam consultationem commentum, meramque fabulam esse, ad quid enim ( quæritur ) illa consultatio ? quandoquidem de voluntate Dei certiores iam erant facti ab Angelo Lucæ i. *Paries Filium, & vocabis nomen eius IESVM* : & Matth. i. Ad quid præterea exercitus ille Angelorum tanto apparatu, qualem refert Mater de Agreda ? ad quid schema illud pectoribus infixum, in eisque scriptum dulcissimum illud nomen ? ad quid denum nouus ille accessus, & descensus SS. Michaelis, & Gabrielis ? Inutilis ergo est hæc Angelorum destinatio, totaque reuelatio ficta.
- 44 Respondetur pag. 177. num. 80. supponendo cum Ven. Scriptrice, quod Maria, & Ioseph certiores iam erant de voluntate Dei ab Angelo de nomine IESV Infanti nascituro imponendo ex Luca, & Matth. citatis ; Consultatio itaque, siue potius collocutio inter ipsos desuper nos fuit, quia certiores non essent, sed quia vel Mariæ nota non fuit reuelatio facta Iosepho, vel quia vterque optimè nouerat, Sacramentum Regis abscondere bonum esse, eam reuelationem utriusque notam in corde suo conseruarunt, ac retinuerent, quoad usque tempus opportunum Diuinum præceptum adim-

adimplendi accessit, tuncque oportuit ipsum recolere, habitamque desuper reuelationem mutuo consensu, & obsequio aperire, ac ratificare, & hæc manifestatio mutua reuelationis habitæ fuit, quæ à Censore dicitur consultatio.

- 45 Velut inutilis, & vana ab eo putatur noua Angelorum deputatio ad indicandum nomen Sanctissimum IESVS infanti imponendum, quod in pectori scriptum, & velut in scuto tanto apparatu, ac fastu gestabant, vtì Mater de Agreda narrat, sed quo fundamento id in Censuram vocatur? num id repugnat, siue non decet? num contra Fidem, contra bonos mores, contrà Doctrinam Ecclesiæ, contra traditiones, Concilia, vel SS. Patres? non probatur, nec probari valet, immò potius, si Sacrae paginæ, si SS. Patres, si reuelationes priuatæ, si historiæ Ecclesiasticae euoluantur, similes locutiones de Angelorum apparitionibus, fastu, & apparatu magno inuenientur, immò & à vulgari sensu remotiores, quām sint illæ, quas Ven. Author describit. Solùm igitur trinis suscitationibus ad quid? ad quid? ad quid? de inutilitate nota efformatur, exindeque de falsitate tota narratio, siue reuelatio inuritur, cuius materiam, siue obiectum veritati, & minus possibilitati opponi, vtì opus erat, nec probatur, nec probari valet: est ergò despicienda huiusmodi oppositio velut libera, importuna, & insubsistens.

### O B S E R V A T I O X I .

Pag. 178. num. 84. super verba num. 567.

Quibus asseritur, quod Magi non obtulerunt Christo recens natio munera sua prima vice, siue die, qua ingressi sunt Bethlem, ipsumque inuenierunt, sed sequenti, qua regressi ipsum visitarunt.

- 46 Opponitur id contrariari Sacro Textui Matth. 2., quo successiva actione narratur, & Magos Infantem inuenisse, ipsum adorasse, & munera sua ei obtulisse, nec valet dicere S. Matth. tacuisse primum ingressum in Domum, & adorationem; difficultas enim stat in eo, quod S. Matth. in sua literali narratione ingressum in Dominum, inuentionem Pueri, adorationem, atque munerum oblationem vnit: In historia verò præsentis separantur, atque duabus vicibus, & diebus contigisse refertur, quod manifestè literæ Textus opponitur.

- 47 Respondet pag. 178. num. 85., & seq. Primi: si omnes circumstantiæ, quas Sacri Euangeliæ, dum aliquod Mysterium, euentum, vel factum narrant, tacuerunt, vel omiserunt, ex eo præcisè negari deberent, vel opponi literali eorum Textui diceretur, innumeræ sunt, quæ vtì vera narrantur, & acceptantur, velut contraria Sacro Textui excludi deberent, quod admitti non debere aptissimo exemplo, innumeris alijs prætermisis, persuadetur num. eodem 85. Deindè Ven. Author Textum ipsum Matthæi ibidem ad literam adducit, hoc solo discrimine intercedente, quod S. Matth. ingressum Regum, inuentionem Pueri, & oblationem munerum contextu successivo narrat, non tamen id vnicè contigisse affirmat, aliaque positivè excludit, siue negat, Ven. autem nostra

Abbatissa prima vice eorum ingressum Bethlemiticum antrum, Infantis adorationem scribit, non tamen munera tunc obtulisse, sed suspendisse ad sequentem diem, qua omnia ea iuxta narrationem Math. facta fuisse testatur: non ergo à Textu Euangelico discordat, sed ad literam concordat, solumque adiungit circumstantiam, quæ non negatur, sed prætermittitur, primi nimirum ingressus Magorum, adorationis, & suspeisiones pro tune munera solemnis, publicæque oblationis usque ad diem sequentem, quorum utrumque congruum, & verosimile putari debet.

- 48 Et quidem, quod cum primum stella ducti superno lumine præuenti cohiberi non potuerint, quin antrum Infantem natum videre, & adorare ingredierentur, piè credibile est: quod verò non eo tunc sua munera obtulerint, sed postmodum deposito habitu, & comitatu itineris, decentiorique apparatu, & vestitu, cunctisque præparatis debitè ad eam, qua decebat, maiestate, & magnificencia, solemnem publicam mysteriosam functionem peragendam sequenti die fuisse reuersos, velut congruum, dignumque piè credi debet, immò etiam fit credibile, non semel, sed pluriès antrum visitasse, Dominumque adorasse, priusquam in Regionem suam reueterentur, quamvis S. Math. contextu successu hunc regressum narret, idque confirmari potest ex facto verosimili, piè credibili, quod Ven. Scriptrix loquens de Pastoribus part. 2. num. 495. narrat, ipsos nimirum diebus illis, quibus Maria Sanctissima, & Ioseph cum Puerō in antro Bethlemitico permanerunt, non semel, dum videlicet Angelo nunciante, videre Verbum, quod factum est, iere, sed aliquoties deinceps reuersi visitarunt.

## O B S E R V A T I O XII.

Pag. 179. num. 87. super verba num. 612.

Quibus asseritur fugam in Ægyptum immediate post præsentationem Infantis in Templo factam fuisse, quin Maria, & Ioseph in Nazarethum regredierentur, ut etiam S. Bonaventura narrat.

- 49 Opponitur: S. Lucam contrarium assertere c. 2. ibi: *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini reuersi sunt in Galileam in Civitatem suam Nazareth*: ad quæ conformiter communis sententia apud Saluianum ad ann. Mundi num. 33. regressum Nazarethum primò, postmodum fugam in Ægyptum tenet.
- 50 Respondetur pag. 180. num. 88., & sequenti, & quidem plenissimè solo Textu, & contextu Ven. Authoris, cap. namque 21. ubi fugam in Ægyptum describit propositam difficultatem num. 614. præueniens, miram omni attentione obseruandam Doctrinam non tam pro præsenti, quam alijs plurimis difficultatibus, & antilogijs inter Sacros Euangelistas apparentibus concordandis, & in specie pro concordia duorum Euangelistarum Matth., & Lucæ super mysterio fugæ in Ægyptum: supponit namque, quod S. Matth. adorationem Magorum, & fugam in Ægyptum retulit, quam S. Lucas omissit, & vicissim S. Lucas enarravit circumcisionem, præsentationem, & purificationem, quam tamen S. Matth. enarrare omissit, hinc (ait) quemadmodum S. Mattheus enarrato discess-

discessu Magorum, statim enarrare incipit, qualiter Angelus Domini Iosephum allocutus est, dicens fugeret in Aegyptum, quin facta iam præsentationis in Templo mentionem faciat, nonque inde infertur prius factam non fuisse, procul dubio namque facta erat post discessum Regum, & ante fugam in Aegyptum iuxta narrationem S. Lucæ, ita pariter idem S. Lucas quamvis post factam præsentationem in Templo regressum Nazarethum scribat, non inde sequitur fugam in Aegyptum anteā non euenisse, quandoquidem ea reuerā contigit, vñ scribit S. Matthæus, & si id ommiserit S. Lucas, qui nec postea eam fugam retulit, vtpote à S. Matthæo iam prænarratam, quia itāque S. Lucas scripturus non erat, necesse fuit, vt suæ historiæ filum secutus post præsentationem statim redditum in Nazareth subiungeret.

- 51 Quod verò dixerit (prosequitur Dei Famula) perfectis omnibus secundum legem redisse in Galileam, hoc non est dicere eos in Aegyptum non fuisse prius, sed potius historiam prosequi omissa fugæ; ex ipsoque Textu S. Lucæ (concludit) concluditur, redditum in Nazareth post redditum ex Aegypto contigisse; dicit enim, quod Puer crescebat, & confortabatur sapientia, gratiaque in eo agnoscatur: Id quod profectò esse nequibat ante completos Infantiarum annos, quæ erat post redditum ex Aegypto, & dum Pueris lumen, ususque rationis elucescere incipit: concluditur ergò ex his, assertam fugam ante redditum in Galileam consonam potius, quam absconnam Sacro Textui esse.

### O B S E R V A T I O X I I I .

Pag. 182. num. 91. super verba num. 634.

Quibus nonnulla referuntur miracula facta à Maria Sanctissima in itinere Aegyptum versus, & alia in alijs occasionibus, quod visum Cæcis dedit, sanitatem innumeris Personis, mortuos suscitauit, Soli, Luna, & Stellis imperauit, ipsam participem Deus fecit suæ Omnipotentie, potestatemque dedit super Cælum, influencias planetarum, & Elementorum, mansaque constituta Regina cum Dominio, & imperio super omnes Creaturas.

- 52 Opponitur à quartæ Censuræ Authore, vnicè fusa nimis reflexione varijs discursibus efformata, quibus prætendit conuenientem non fuisse, dum viueret, B. Virginis usum operationis Miraculorum iuxta opinionem Diui Thomæ p. 3. quæst. 27. art. 5. ad tertium, aliorumque cum ipso, & præcipue ante mortem, & ascensionem Christi in Cælum, et si postea Miracula fecisse cum alijs supponatur, cui adiungitur, nullum ex tot Miraculis, quæ Mater de Agreda recenset memorie Posterorum, sive Euangelistarum, sive Scriptorum aliorum fuisse commissum, nec potestatem præcipue generali patrandi miracula, & immutandi pro suo arbitrio creaturas, habuisse velut Dominam absolutam etiam similitudine quadam de super Filio suo.

- 53 Respondetur pag. 187. num. 92. omnes nimirum virtutes, donaque Spiritus Sancti, & gratias gratis datas B. Virginis à primo sui esse instanti fuisse concessas, quo nihil frequentius à SS. Patribus, &

Doctoribus prædicatur, ita quod nulla virtus, donum, perfectio, siue gratia legatur concessa Creaturis, quæ non resplendeat, & quidem in gradu eminentiori in Virgine gloria: est etiam frequentissimum nullam virtutem, siue gratiam otiosam, siue vacuam in ea fuisse: cum igitur inter gratias gratis datas gratia curationis, operationisque virtutum, siue Miraculorum computetur, eam concessam fuisse, nonque otiosam, siue vacuam B. Virginem habuisse, plura miracula perpetrasse, siue ante, siue post mortem Christi, & Ascensionem eius in Cœlum piè credendum est, non sanè publicè, siue in confirmationem Doctrinæ Fidei, quo sensu forsitan S. Thomas vsum operationis virtutum, & miraculorum B. Virgini negat.

54 Huius veritatis pia credibilitas à paritate conuincitur: Si etenim plures siue ante, siue post mortem Christi miracula perpetrasse legitur, estque innegabile, cur non illa, quæ in omnibus, & per omnia miraculorum miraculum maximum? hoc argumentum adducitur à S. Basilio Seleuc. Orat. 39. annunciat., quæ habetur in Bibliothec. SS. Patrum Tom. 5. Liter. B. & C., cuiusque verba et si aliqualiter fusa num. 93. producta difficultati propositæ satisfaciunt, veritatemque assertam persuadent. Deinde ultraquamquod argumentum exaduerso merè negativum sit, si Authores siue antiqui, siue moderni euoluantur, quamplura ex his, quæ Ven. Author recenset, & alia ab ipsis recitata à B. Virgine perpetrata inuenientur: vnde concluditur, vsum operationis miraculorum B. Virgini absolutè denegare, non eius vitam est vindicare, sed potius denigrare, siue gloriam diminuere gratis.

55 Qualis autem fuerit hæc gratia, siue potestas miracula patrandi in B. Virgine, qualiterque ea vsa fuerit, ex ipsis etiam SS. Patribus facile colligi statuitur num. 95., nihilque familiarius apud ipsos quam Deiparam appellare, & confiteri Reginam, ac Dominam omnium Creaturarum, siue in Cœlo, siue in Terra, siue in Inferno à Deo constitutam cum absoluta potestate, dominio, & imperio super omnia iure sibi velut Matri à Filio concessa, & quidem eadem potestatis plenitudine, quam ipse Filius à Patre concessam habet, quamquam aliter, idest non à se, sive independenter à Filio, sed ab ipso Iure materno communicatam, ut Filius à Patre iure Filij proprij datam habet. Sic quamplures Sacri Doctores sub eodem numero recensiti (quampluribus alijs prætermisis) vindendi.

#### O B S E R V A T I O X I V .

Pag. 184. num. 96. super verba num. 674.

Quibus asseritur Mariam vidisse in animæ Filij sui actionibus omnia, quæ in Bethlem circa Infantes fiebant, quid Filius suus Sanctissimus Patrem Eternum rogabat prò Parentibus Infantum, hosque offerebat defunctos, velut primitias suæ mortis, atque eis vsum rationis concedi postulabat, ut voluntariè mortem acciperent, & vitam sacrificarent in gloriam eiusdem Domini, atque in premium passionis martyrij coronam eis redderet.

- 56 Opponitur: nihil reuera contra primam propositionem adducendo, sed vnicè dicendo: *An verosimilis sit alieno iudicio relinquendo: aduersus reliqua supponitur sententiam esse aliquorum afferentium, Innocentibus fuisse miraculosè concessum usum rationis, quos tamen refellit S. Thomas 2. 2. quæst. 124. art. 2. ad 1. & præcipue, quod tanta miracula tamquam stupenda absque autoritate fingi non debeant, qualis quippe non est, nec in Scripturis Sacris, nec in SS. Patribus, quæ tot Pueros, tamque tenellos, atque latentes usu rationis donatos affirmet, aut innuat.*
- 57 Respondet breuiter pag. 184. num. 97., & in primis Beatissimæ Virgini Mariæ inter priuilegia singularia, quæ potentissimum Dei Brachium ei concessit, maximum fuisse in anima sui Sanctissimi Filij omnes eius operationes interiores contueri velut in speculo lucidissimo Ven. Author non semel afferit, congruentissimisque rationibus firmat, atque verosimile, pièque credibile esse persuadet, vt-pote non repugnans, congruumque aliàs, ac decens, vt ipsa viua immago adæquata, & perfectissima Filij sui in omnibus euaderet, vt̄ euasit iuxta vulgarem phrasim SS. Patrum, & Doctorum.
- 58 Christum Dominum præterea Patrem Æternum orasse pro Innocentibus, ipsosque obtulisse velut primitias, siue pignora mortis suæ, ac tandem rationis usum eis concedi postulasse, vt mortem voluntariè acciperent, atque subirent in gloriam Dei, adeo verosimile, pièque credibile est, vt nisi gratis negari valeat: an autem de facto usus rationis fuerit Innocentibus concessus, aliaque stupenda miracula patrata fuerint, sententiam esse aliquorum usum rationis eis fuisse miraculosè acceleratum supponitur à Censore, quod sat is est, vt velut probabile, pièque credibile existimetur, quin obstat S. Thomas oppositum forsan scribens, non enim tanti eius sententia estimari debet in rebus maximè, quæ ad fidem non pertinent, ut oppositum defendi non liceat: Ultraquamquod eiusmodi priuilegium solum negasse videtur, quia non constet ex Sacra Scriptura, quod vtpotè negativum argumentum nullius est momenti, immo & insubsistens, vtpotè Diuinam Omnipotentiam limitans.

## O B S E R V A T I O X V.

Pag. 185. num. 98. super verba num. 786.

Quibus adstruitur, quod tota excellentia Sanctitatis magnæ Dominae nostræ compræhenditur in eo, quod Deus ipsam fecerit imaginem viuam Sanctissimi sui Filij similem in gratia, & operationibus, taliter, vt per communicationem, & priuilegium videretur aliis Christus in quantum homo, & hoc fuit quoddam Diuinum, & singulare commercium inter Filium, & Matrem, Ipsa etenim dedit illi naturam, & formam humanam, & ipse dedit illi aliud esse spirituale, in quo mutuam similitudinem habebant, vt̄ habent mediante humanitate in ordine naturali.

- 59 Opponitur sic: aut Mater de Agreda hæresim affirmat hoc pomposo loquendi modo, aut nihil aliud dicit, quam quod de omni Iusto dici valet: si equidem prætendit, quod B. Virgo similis fuit in

gratia , & sanctitate gratiæ , & sanctitati Christi , sicut fuit in humana natura ? falsum , & hæreticum est ; sin verò aliud non intendit , quām similitudinem proportionalem , hæc communis est omnibus Iustis : Cū ergò ita loquitur , quod æqualitatem inter gratiam , & sanctitatem Christi , & Mariæ , indicet , & significet ? illudere videtur .

- 60 Respondetur pag. 185. num. 100. , quod Ven. Author asserta propositione , aut falsum , & hæreticum statuat , aut nihil singulare . B. Virginis tribuat suo pomposo loquendi modo , arguitur , sed quo fundamento ? non alio quām illo conditionali : si prætendit hoc , si prætendit illud , quo profectò modo innumera canonica Testimonia possent simili censura castigari , vtì aptissimo exemplo ( alijs prætermisis ) sub eodem numero conuincitur . Præterea ut quid queritur quid Ven. Author præiactis verbis prætenderet , dum adeò expressè sese explicauerit , ac dixerit non aliud , quām quod SS. Patres , ac Doctores de gratia , & Sanctitate Deiparae loquentes communiter dicunt , immo supponunt , quod videlicet Sanctissimi Filii sui viua immago fuerit , similis in gratia , sanctitate , & operationibus ? quorum nonnulli verbis expressis id fatentur sub eodem numero recensiti .
- 61 Qualis autem fuerit hæc similitudo in gratia , & Sanctitate Verbis exaduersò supra adductis , vaico verbo in fine eorum ipsa Ven. Author explanat , omnemque difficultatem euacuat : adeò ( inquit ) proportionata , & similis in gratia , & Sanctitate , atque operationibus immago viua Sanctissimi Filii sui effecta est , ut per communionem , & priuilegium alter Christus videretur , & hoc fuit quoddam speciale , & Diuinum commercium inter Filium , & Matrem : nām quemadmodum Mater humanæ naturæ formam , & essentiam dedit illi , ita & ipse dedit illi quoddam esse spirituale gratiæ , in quo similes essent respectiue , sicuti sunt similes in humanitate , idest sicut humanitas humanitati , ita gratia gratiæ , spiritus spiritui , respectiue , siue quadam propositione similis , & æqualis effectus est .
- 62 Notetur unicum illud verbum , siue aduerbiū respectiue , idest sicut similes sunt in humanitate , ita in esse spirituali gratiæ , & sanctitatis similes essent respectiue , non quidem similitudine , & æqualitate arithmetica , siue mathematica , sed proportionali , geometrica , respectiueque , vtì ipsa Dei Famula alijs in locis sese explicat , & explanat , atque in eo sensu , quo S. Hieronym. expōnens illud : Aue gratia plena , inquit , benè plena , quia cæteris partes præstatur , Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ : verè plena , quia eti in SS. Patribus , & Prophetis gratia fuisse creditur , non tamen eatenus plena : In Maria verò totius gratiæ , quæ in Christo est , plenitudo venit , quamquam aliter : Ecce similitudinem in gratia , & sanctitate Mariæ cum Christo : quia eadem plenitudo , quæ in illo fuit , in Maria venit , quamquam aliter : notat , idem S. Pater , & respectiue Ven. Author , quod nulli creaturæ , nec omnibus simul collectiue sumptis competit ; non ergò asserere B. Virginem similem in gratia , & sanctitate Sanctissimo eius Filio respectiue , vtì sunt in natura humana in sensu adeo plano , & exposito falsum , & minus hæreticum putari debet , sed sanum , & Catholicum .

OBSER-

## O B S E R V A T I O X V I .

Pag. 186. num. 105. super verba num. 1000. , &amp; 1092.

Videlicet: Christus Mariae Matri sua de cibo illo, quem Angeli in Deserto ei ministrarunt misit, eisque imposuit, ut dilectissima Matri sua aportarent: Item multitudo volucrum, dum Christus de cibo illo Cœlesti reficiebatur, concentu suo armonioso recreabant ipsum, Angelique in sequentes, dum Maria de cibo illo sumebat, musicam etiam ei faciebant.

63 Opponitur dicendo non esse certum verba illa Euangelica: Angeli ministrabant ei, intelligi debere de cibo: sed etiam admisso, quod talis fuisset, certissimum est, quod non portarunt cibos alios extraordinarios, nisi usuales, & quos ipse velut Magister omnis virtutis permisisset ad refocillandam naturam, de quibusque facile prouideri posset: non ergo credibile fit id ita factum fuisse, ut Mater de Agreda narrat: super musicam illam quidquam dici posset: sed volo ad vteriora progredi, inquit Author quartæ Censuræ.

64 Respondetur pag. 187. num. 106. non sine admiratione asserere non esse certum, & in dubium vocari, quod Sacri Expositores, Sanctique PP. non tam probant, quam supponunt ex littera Sacri Textus Euangelici, ut etiam ipsa Ven. Author animaduertit, Angelos nimirum Christo Domino post quadragesimale ieunium in Deserto cibum ministrasse, quo fami, quam passum fuisse idem Sacer Textus affirmat: postea ejusuit, subueniret, de illoque participem ficerent dilectissimam Matrem, vt pote quæ fidelissima fuerat Socia Filii in adeo rigido Ieiunio seruando, ut ipse sit credibile.

65 Qualis autem fuerit cibus, ille non è Terra, sed de Cœlo, siue Cœlestem Ven. Author appellat, & meritò ex ore Beatissimæ Virginis, quæ illum degustauit, propriè Cœlestem fuisse approbantis verbis num. 111. recensisit, nonnullisque exemplis num. 112. adductis, quibus qualis esset cibus ille, cuius conditionis, miraque virtutis explanatur. Tum de pane illo subcinericio Eliæ ministrato. Tum de Manna, quod panis Angelorum vocatur. Tum de aqua in vinum à Christo in Nuptijs Canæ Galileæ conuersa. Tum de alijs insinuatis nonnullis Dei amicis, & Seruis exhibitis cibis non ordinarijs, sed exquisitis. Si ergo Deus voluit panem subcinericum tantæ virtutis, & vigoris, qualis constat ex Sacro Textu Eliæ in Deserto ministrari? si Populo Israelitico in deserto manna de Cœlo tanta varietate saporis, & virtutis, quantam etiam Sacer Textus describit, pariter ministrari? si alijs suis Seruis, & Amicis Deus non usus, sed exquisita cibaria miraculosè suppeditauit, ut S. Didaco velut vero Israelitæ, S. Rose Limensi (alijs prætermis) exhibuisse constat, estque pie credibile, credibilius potius estimari debet id cum Christo, eiusque Sanctissima Matre in adeo opportuna occasione, qualem Ven. nostra Abbatissa refert factum fuisse, unde asserere, ut exaduerso asseritur velut certissimum, cibum illum, quem Angeli ministrarunt non quidem

- extraordinarium, sed vsualem, idque adeo leuissimo fundamento, quale adducitur, liberè prorsus, & inconsideratè dicitur,
- 66 Concursus tandem Volucrum, dum Christus, eiusque Sanctissima Parens de cibo illo sumebant, ut canticis suis suo modo Creatori, & Reginæ, Dominæque suæ sensus recrearent, non minus fit piè credibilis, & si quid desuper dici posset, vt exaduerso notatur, profecto aliud dici non posset, quam ita factum fuisse, quod cum alijs Dei Seruis euenisce legitur.

## O B S E R V A T I O X V I I .

Pag. 191. num. 115. super verba num. 1076.

Quibus dicitur, quod *S. Ioannes Baptista præsentibus Christo, & Maria Matre eius fuit decollatus, quod Christus Corpus eius manibus suis sustinuit, & Maria Caput, quod unus ex Ministris de manibus Mariae Caput subripuit, alijs tantisper altercantibus, quisnam ipsorum infami saltatrici, eiusque impijissimæ Matri præsentato færali Dono adulatum iret, caput deferens.*

- 67 Opponitur, id apertum esse commentum absque ullo prorsus fundamento, & necessitate confectum; vterius, ad quid deseruuit illa Ministrorum cunctatio ex disceptatione proueniens, vt Christus brachijs suis caput, & manibus suis Maria Corpus susciperet atque vterque Cœlesti Patri nouam in Ara manuum suarum hostiam illam obtulerint? Cum totum inuerosimilitè factum dicatur?
- 68 Respondetur pag. eadem num. 116. modòque non sine admiracione, quod velut apertum commentum censeatur factum narratum à Ven. Scriptrice, non quidem qua parte asserit Christum, eiusque Sanctissimam Matrem Præcursoris morti adstituisse, vel eosdem Cœlestes Reges Corpus, & Caput manibus suis suscepisse, atque in eis velut in Ara Patri Æterno nouam illam hostiam obtulisse, sed qua parte narrat cundationem ex disceptatione inter Ministros Herodis prouenientem, quisnam eorum caput Saltatrici deferret, tanquam ad nihil deseruientem, ad quid (percunctatur) deseruuit? Deseruuit respondetur, quia ita contigisse verosimile est adulationis, & præmij obtinendi causa (vt ipsa Author pia animaduertit) ab infami Saltatrice, eiusque impijissima Matre, & nisi probetur, vt non probatur ita non euenisce, siue non potuisse, vel Sacra Scriptura, vel SS. Patribus, vel alicui principio, cui non liceat contradicere, contrariari, gratis prorsus velut commentum confictum id existimatur.

## O B S E R V A T I O X V I I I .

Pag. 192. num. 117. super verba num. 1085.

- Videlicet: *Deus B. Virginem amauit amore infinito absque pondere, & mensura.*
- 69 Opponitur, quod mater de Agreda hisce verbis aut hæresim, aut rem impossibilem profert, aut id solum concedit, quod quilibet quam

quantumvis infimæ Creaturæ competit. Si equidem loquitur de amore Dei considerato ex parte actus, non amplius dicit, quam quod dici valet de formica. Si de amore ex parte boni, quod amat; error est, quia etsi Deus B. Virginem ad esse ipsius veram Matrem exaltauit, Donisque correspondentibus exornauit, remansit tamen pura Creatura, nullaque Creaturam, sed seipsum solum Deus amat amore infinito, & immenso, absque pondere, & mensura. Ita Censor vindicare impensis vitam B. Virginis.

70 Respondetur pag. 192. num. 118. Verba Ven. Scriptricis, quæ circumcisa, arida, nudataque ab eius spiritu indicantur, præmitendo: loquens igitur c. 5. de fauoribus, quos Apostoli ob deuotionem erga Sanctissimam Matrem, omnes, & singuli à Christo receperunt, ob cuius defectum Iudas viam sibi ad perditionem stravit hæc scribit: *De solo pessimo Iuda Apostolo quidquam ex his, quæ intellexi, dicam id exigente historia, quod aliunde notum non est, deseruiens tamen ad instructionem Peccatorum, cautelam obstinorum, & monitionem parum deuotorum Mariæ Sanctissimæ, si quis forsan est, qui talis sit erga Creaturam adeo amabilem, quam ipse amore infinito absque pondere, & mensura adamauit. Angeli totis viribus, Sanctique omnes toto cordis affectu, & cunctæ creaturæ contentiosè, & tenaciter diligere debent, atque totum minus erit, quam quod amari promeretur.*

71 His præsuppositis Ven. Scriptricem in clausula notata non loqui de amore Dei entitatiè considerato, ut supponatur num. 120., sed de amore ex parte boni, quod Deus Mariæ communicauit; supponitur præterea, quod tantò maior est amor, quantò maius bonum est in amato iuxta Diu. Thomam ibidem citatum, ac tandem supponitur cum ipso opusculo 60. vbi loquens de amore, quo se ipsam Trinitas amat, & quo humanitatem assumptam, primum vocat absolutè simpliciter infinitum, secundum autem infinitum respectiuè, & secundum quid; dum igitur Ven. Author afferit Deum amare amore infinito absque pondere, & mensura Mariam Sanctissimam, non loquitur de amore infinito simplicitè, & absolute, quali seipsum amat solum, quia etsi eiusdem vera Mater sit, Donisque gratiæ in omni plenitudine plena, maternitas tamen non est bonum simpliciter, & absolutè infinitum, loquitur itaque de amore infinito respectiuè, & secundum quid, hoc est comparatiuè ad amorem omnium Creaturarum etiam collectiuè sumptarum, vt ipsa Ven. Dei Famula non semel fese in suis Scriptis explicat excessum infinitum amoris Dei erga Christum, & eius Sanctissimam Matrem ponderans respectuum videlicet, & comparatiuè ad omnes Creaturas siue humanas, siue Angelicas, & hic modus loquendi, nisi damnetur modus, ususque in Sacra Scriptura, censurari non debet, & minus velut error putari, num. 20. v. 20. dicitur: *cum infinita multitudine 3. Reg. 10. aurum infinitum nimis: 2. Paralipom. cap. 17. facte sunt ei infinitæ diuitiæ: Sapient. 7. infinitus enim Thesaurus est hominibus: & flitorum infinitus est numerus: eodem modo etiam SS. Patres loquuntur, & vtuntur non semel, ac tandem infinitum communiter appellatur, quidquid incomparabiliter aliud in eadem linea excedit.*

- 72 In hoc igitur sensu locutio Ven. Scriptricis non solum immunis est ab omni Censura, sed sanissima, rationi, & authoritati innixa, & consona: ratio efformatur ex principio illo Diui Thomae p. 1, qu. 20. art. 4. *Deum diligere magis aliquid, nihil est aliud, quam ei maius bonum velle*: ergo Deum aliquid diligere amore infinito infinite respectiva, aliud non est, quam velle ei bonum infinitum quodammodo, idest respectiuè, siue comparatiuè per excessum ad quocumque aliud amabile bonum, sed Mariæ, & in Maria vult Dominus bonum quodammodo infinitum excedens incomparabiliter quocumque, qualemque bonum volitum in Creaturis omnibus, etiam collectiuè sumptis: ergò illam amat amore infinito infinite respectiva, idest excedente amorem omnis Creaturæ. Cetera patent: minor verò est omnium SS. Patrum, ac Doctorum, inter quos etiam S. Thomas confitentium Maternitatem Dei in Maria, siue Mariam in quantum Dei Matrem quandam esse Dignitatem infinitam, etsi in se, & quantum ex se sit pura Creatura.

## O B S E R V A T I O X I X.

Pag. 195. num. 126. super verba num. 1100.

Quibus dicitur, quod *Maria adstitit transfigurationi in Monte Thabor, ibique non solum Christum transfiguratum vidit, sed & Divinitatem intuitiuè*.

- 73 Opponitur: quod id non docet Scriptura, nec traditio, nec SS. Patres, nulloque fundamento, siue necessitate probari potest, nec ulterius intelligi potest, quo Iure hoc, quod in Apostolis gratuum fuit, in Maria gratia fuerit debitum. Ita in tertia Censura arguitur. In quarta verò sic: non video necessitatem, nec utilitatem propriam B. Virginis, vel alterius ullius præfatae assistentiae: cum itaque neque Evangelistæ, nec ullus ex tribus Apostolis, qui præsentes fuerunt, mentionem ullam desuper fecerint, nec alias constet ex traditione, siue SS. Patribus, siue Historijs Ecclesiasticis, credendum est B. Virginem transfigurationi non adstitisse.
- 74 Respondetur pag. 194. num. 124., quod cum omnia præicta exaduersò fundamenta pure negativa sint, uti appareat, eis ut potè nullius momenti satisfacere non cogimur; solumque dicimus, nunquid sic discurrentes Consiliarij Dei fuerunt, vt penetrare potuerint Altissimi Consilia, eiusque erga Beatissimam Matrem suam Diuinæ Beneficiæ, & prouidentiæ motiua, siue fines? nunquid ex eo, quod eis non occurrat motivum, siue necessitas præfatae præsentiae Mariæ, negare eam licet? nunquid ex eo præcisè, quod capite aliquo ex adductis non constet expressè, licet Mariæ id Priuilegium, siue fauorem denegare, cui maiora procul dubio dona fuerunt concessa? nunquid fauor assertus repugnat, vel non decet concedi? nunquid tandem fidei, vel bonis moribus, siue Doctrinæ communis Ecclesiæ opponitur?, nec probatur, nec probari valet positivo aliquo fundamento: non ergo eum fauorem Mariæ, nisi gratis negare licet; Ut enim aiebat Dju. Augustinus productus pag. 195. num. 125. loquens de quodam Mariæ Sanctissi-

simæ : Si hic quæratur ratio , non erit mirabile , si exemplum posciatur , non erit singulare : Demus ergo Deum aliquid posse , quod nos fateamur inuestigare non posse : , & S. Hyeron. ibidem : quia Deus nihil est impossibile , nec nos de B. Virgine factum abnuimus : & rursus : melius tamen Deo totum , cui nihil impossibile , committimus , quām vt aliquid temerē definire nostra authoritate velimus ; succurrebat ergo humanæ intelligentiæ infirmitas piæ credibilitati favoris prænarrati .

## O B S E R V A T I O X X.

Pag. 195. num. 126. super verba num. 1108.

Videlicet : Secundum quod mihi datum est intelligere , Christus Dominus in quantum homo longè viuere absque Matre nequibat , dans locum affectui grandi , & forti , quem erga ipsam velut Matrem habebat , & à qua ipse tanto amore afficiebatur .

75 Opponitur , quod etsi Christus in quantum homo locum dabat affectui , quo suam Matrem prosequebatur , etiam dum ab eius præsentia absens erat , aliter debito affectui implendo defecisset , non tamen mortuus fuit , sed vixit ; hæc itaque reuelatio aut est de re falsa , aut de re , quæ fieri nequibat absque pœna aliqua in Christo , quod est inutile , & excessivum .

76 Respondet pag. 195. num. 128. aptissima ad præsens præmittendo verba Areopagitæ lib. de Diuinis nominibus c. 4. §. 11. dicentis : *Alienum est à ratione , vt opinor , & absurdum non attendere vim propositi , sed vocabula , esseque hoc non eorum , qui volunt Diuina intelligere , sed eorum qui sonos tantum recipiunt : neque scire volunt , quid tale verbum significet : quoniam itaque tota vis , si quæ sit , obiectionis vnicè innititur dictiōni illi : longè viuere nequibat , non attenta vi propositi , siue non considerando , quid significet illud viuere nequibat sola verba Ven. Authoris adulterata , sinistre que usurpata exaduersò appræhensa difficultati plenè faciunt satis , ea ad vnguem num. 129. fusa satis sunt , sed tenerissima , quæque clarissime demonstrant , non potuisse Dei Famulam melius , & facilius humano captui exprimere imponderabilem amorem Christi erga suam Sanctissimam Matrem ad mensuram amoris Materni erga Filium , quām vtendo phrase vulgari , qua exprimi solet excessus amoris ; quo quis alterum prosequitur : sic S. Lucas , vt significaret amoris vim specialis Christi erga tres Discipulos prædictos , dum ab eis , vt oraret , se segregauit , ea quasi phrasē usus est , dicens : *avulsus est ab eis* : sic S. Bernardus amorem B. Virginis Crucis adstantis post Filij mortem exponens , atque ipsam aliquous ait : *ipsius nimirum anima iam ibi non erat , sed sua planè inde auelli nequibat* : sic tandem nimium amorem S. Petri de Alcantara erga Christum Ecclesia in Officio Diuino Sermon. S. Ioannis Chrysostomi sexta die infra Octauam exagerat inquiens : *à Christi præsentia diutiùs abesse non sustinens* : sic itaque intelligenda est clausula notata illa : *tanto Christus in quantum homo amoris à affectu Matrem suam prosequebatur , vt ab eius præsentia abire nequibat* : hæc in terminis est clausula : non tamen , vt exaduerso vertitur nimi-*

nimirum : vivere nequibat : inde inferendo sinistram consequentiam de falsitate , & impossibilitate , eo quod non propterea Christus mortuus est , sed vixit .

## O B S E R V A T I O XXI.

Pag. 197. num. 131. super verba num. 1181.

Quibus afferitur , Calicem , quo Christus Dominus consecravit , fuisse ex lapide pretioso quasi smaragdinis .

- 77 Opponitur : id haud posse substineri : nam Baron. ann. Christi 34. num. 63. argenteum fuisse statuit de authoritate Ven. Bedæ lib. 1. de Locis Sanctis c. 2. ex reuelatione S. Arvulphi id afferentis .
- 78 Respondetur pag. 197. num. 132. Calicem illam , cuius meminit Beda non fuisse illum , in quo Christus consecravit , ut enim obseruat Gauantus pag. 2. Comment. in Rubric. Missalis c. 1. Calix ille , in quo seruabatur Spongia potus ministra videtur fuisse , qui ad potandum felle , & aceto Christum in Cruce pendentem seruit , idque colligit ex verbis Bedæ num. citat. productis . Alij sentiunt Calicem illum Eucharistiae institutionis , nec aureum , nec argenteum fuisse , nec alterius materiae pretiosæ , sed vel luteum , vel ligneum eo fundamento , quod Dominus Domus pauper , & humilis erat .
- 79 Quidquid tamen sit de hac opinionum varietate , quæ parùm , aut nihil ad veritatem Mysterij Eucharisticæ institutionis conductit , verosimilius est fuisse ex lapide pretioso quasi smaragdinis , idque constat ex constanti traditione , in Ecclesia Cathedrali Valentiae in Hispania , in qua Calix ille colitur , solemnique Processione , eademque pompa , qua festum Corporis Christi celebratur die S. Matthæo sacratæ , quo creditur illuc fuisse asportatum , per totam Ciuitatem circumfertur , in eoque feria quinta in Cæna Sanctissimum Sacramentum reponitur , & seruatur , hunc igitur Calicem fuisse eundem , in quo Christus consecravit , constat tūm ex traditione , tūm authoritate plurium Scriptorum tam indigenarum , quam extraneorum , tūm ex authenticis Testimonij , quæ seruantur in Archivo illius Cathedralis , & Ciuitatis : Idque cum alijs nec Fidei , nec bonis moribus , nec Doctrinæ Ecclesiæ , nec SS. Patribus opponatur , velut piè credibile sustinere licet , velutque incredibile , & improbabile , quod Dominus Domus , in qua peracta est Eucharistica institutio , pauper ita esset , quod non habebat vasa pretiosa .

## O B S E R V A T I O XXII.

Pag. 198. num. 134. super verba num. 1182.

Quibus adstruitur , quod cum Christus Sanctissimum Eucharisticum Sacramentum institueret , perducti sunt per Angelos Enoch , & Elias , de manuque S. Petri fuerunt communicati .

- 80 Opponitur , quod id purum pigmentum sit , nisi dicatur , quod ante baptismum suscipi valeat Sacra Eucharistia , vel quod illi prius fuerunt

erunt in Sacerdotes ordinati. Ita in serie tertia, in quarta post va-  
rios iuxta morem discursus, concluditur, quod cum non constet ex  
Sacra Scriptura, vel traditione præsentia, & communio duorum  
illorum Patrum, sed potius contrarium, nullaque alias sit necessi-  
tas, conuenientiae pro collatione Sacramenti nouæ legis illis,  
quis Sapiens, & Cordatus afferere poterit, quod Christus ordi-  
nem Sacramentorum inuertisset eò vnicè, vt Matris de Agreda  
phantasia verificaretur.

- 81 Respondetur pag. 199. num. 135. non ut merum figmentum phan-  
tasiæ Ven. Authoris existimari debere assertam translationem  
Enoch, & Eliæ in Cœnaculum, eorumque assistentiam, atque Sa-  
cræ Communionis sumptionem, nisi liberè prorsùs ex motiuis, si-  
uè fundamentis exaduerso adductis, vt potè purè negatiuis de non  
constare nimirūm, de nulla necessitate, siue conuenientia, & alijs  
eiusmodi conuincitur. Adest è contra ratio congruentiæ prò pia  
credibilitate facti narrati ex facto apparitionis Moysis, & Eliæ in  
Monte Thabor, & participationis gloriæ Christi Domini iuxtà nar-  
rationem Sacri Euangelij. Si etenim id conueniens, congruumue  
fuit, vt negari nequit, congruum, & conueniens etiam dici de-  
bet illos duos Proceres legis naturæ, & scriptæ adstituisse Diuinissi-  
mo Institutionis Eucharisticae Mysterio, desuperque specialiter  
illustratos Sacram Eucharistiam sumpsiisse, vt nomine Fidelium  
vtriusque legis cultum tanto Sacramento exhiberent, atque illius  
quodammodo participes fierent.
- 82 Hanc profecto congruentiæ rationem Ven. Author insinuat numero  
citato 1182. verbis recensis num. 138. vt videre est. Expressius  
tamen, & fusiūs relatis num. 14., quæ si attente considerentur,  
miram mysteriosam congruentiæ rationem continere circā assi-  
stantiam, & communionem dictorum Patrum, ad oculos appare-  
bit: ea igitur perpendere exoramus.
- 83 An autem ipsi in Sacerdotes nouæ legis fuerint ordinati à Christo  
vti Apostoli in illa nocte fuerunt, nec ne, nec obiter quidem Ven.  
Author insinuat: Solùmque obstatre posset, quod exaduersò præ-  
sumitur, immò opponitur, quod nimurum Sancti duo illi Patres  
non erant baptizati, ac proindè nec capaces Sacrae Communionis.  
Respondetur tamen probabiliter posse sustineri fuisse bapti-  
zatos, & Ecclesiam nouæ legis ingressos: nám cum in corpore mor-  
tali viuant, venturique sint in nouissimis temporibus predicare  
Euangelium, mysteriaque nouæ legis euangelizare, omnino de-  
cuit baptismum suscepisse, idque vel per vnum Angelum, vel per  
ipsum Christum; hoc enim valde oportebat, vt tempore suo di-  
gni Ministri Christi, præclarique Doctrinæ Euangelicæ Precones  
sint, vt Doctus Pater Lumbier de Ordine Carmelitano discurrat,  
probat, & exemplificat pag. 201. num. 141. citatus.
- 84 Aliter respondetur cum Sacro Expositore Silveira eosdem instituti  
tom. 9. opuscul. 2. resolut. 34. qu. 4., vbi probat Enoch, & Eliam  
Sacram Eucharistiam (etsi baptizati non essent) sumpsiisse in nocte  
Cœnæ Christo Domino potestate sua Diuina vtente, ac dispensan-  
te. Id quod sequentibus congruentijs persuadetur. Primò quia  
Minister ordinarius Baptismi sit homo viuens, eo non obstante  
Diu. Thom par. 3. qu. 61. art. 7. docet posse esse vnum Angelum

ex Diuina dispensatione, ut non semel contigisse, sicut & in administratione Sacrae Communionis, & Viatici ex Mysterijs Ecclesiasticis, & vitis Sanctorum constat. Secundò certum est Christum in nocte Cenæ Apostolos in Sacerdotes ordinasse, & non constat Sacraenta Baptismi, & confirmationis suscepisse priusquam Sacram Communionem sumerent; Tertiò, non minus certum est Christum se ipsum Sacramentatum sumpvisse, & sanè non receperat suum proprium baptismum: Id tandem num. 143., & sequenti confirmatum videri potest ex Doctrina Suarez tom. 3. in 3. part. disput. 35. sect. 1. quin exinde liceat, salua debita pietate, & reuerentia tanto Doctori inferre inuersionem Ordinis Sacramentorum, ut verificetur Suarez phantasia.

## O B S E R V A T I O   XXIII.

Pagin. 202. num. 145. super verba num. 1183.

Quibus dicitur, quod Pater, & Spiritus Sanctus apparuerunt in Cenaculo perinde ac in Iordane, & Thabor factum est, & additur: Ex hac apparitione et si omnes Apostoli nouitatem aliquam in se senserunt, aliqui eorum tantum eam perceperunt, inter quos præcipue S. Ioann. Euangelista, qui semper in perscrutandis Diuinis Mysterijs mirè perspicax fuit.

- §5 Opponitur: quod alij Apostoli, & Discipuli apparitionem hanc sileant, haud mirum est, sed quod eam S. Ioannes prætermittat, mirari satis nequit, cum cæteras apparitiones in Iordane, & Thabor Scriptura referat, & tam solemne, magnificum, ut Scriptrix inquit, erat præsens negotium, ut totum Cœlum in Cœnaculum descendere.
- §6 Respondetur pag. 203. num. 46., quod in tām magnis Mysterijs, quot in nocte Cenæ peracta sunt à Christo Domino Pater, & Spiritus Sanctus specialiter apparuerint, & adstiterint cum tota Coelesti Curia, admiratione quidem dignum est, sed non Censura: equidem ultra exempla apparitionum Patris in Monte Thabor, & Spiritus Sancti in Iordane, adsunt rationes congruentiae speciales pro apparitione, & assistentia utriusque cum tota Coelesti Curia in institutione Augustissimi Sacramenti Eucharistiae in Testimonium, & confirmationem tām magnifici, stupendique operis, quo Ecclesia noui Testamenti fuit fundata, lex gratiæ, & nostra æterna salus præparata, ut Ven. Author animaduertit, minùsque dignum est censura, quod Sanctus Iohannes dictam apparitionem silentio prætermiserit: ut etenim ipse animaduertit, plura sunt Facta Christi, quæ non sunt scripta, sed silentio prætermissa; quæ si scripta fuissent; nec Mundus capere posset Libros. Cum itaque silentium, huismodi argumentum sit merè negatiuum, nihil ex sèpè sapius dicit concludit.

## O B S E R V A T I O   X X I V .

Pag. 203. num. 147. super verba num. 1196.

Quibus dicitur, quod Christus Dominus se ipsum communicavit, seque in quantum homo agnoscens Diuinitati inferiorem, quam sumebat simul cum corpore, & sanguine consecratis, semetipsum humiliavit, & in parte sensitua quasi tremuit, atque breui temporis spatio elapso apparuit transfiguratus, ut in Monte Thabor, et si haec miranda nouitas soli B. Virgini fuerit nota, quodammodoque SS. Ioanni, Enoch, & Eliae.

87 Opponitur, quod tremor ille vanus, & confictus fuerit; nam in pane illo aliud non erat, quam Christus ipse, quod igitur motuum erat timendi, & tremendi? tremebat de se ipso? quis non videt, quam vanus esset timor, & tremor ille? Si consideratio in quantum homo Diuinitati inferior tremere fecisset, semper tremere debuissest, quia semper in quantum homo inferiorem Diuinitati se agnoscet. Illa præterea transfiguratio vera non est; non enim illam Apostoli percepérunt: si illius quidquam SS. Ioannes, Enoc, & Elias agnouerunt, nescitur tamen quid Sola B. Virgo vidiit, cui nihil profuisset: absque villa itaque necessitate, & utilitate fuisse transfiguratus.

88 Respondetur pag. 204. num. 149. velut certum supponendo Christum Dominum, priusquam Discipulis porrigeret Sacramentum, seipsum sub vtraque specie sumpsisse, non quidem ut Sacramenti fructum, idest augmentum gratiae reciperet, cuius capax non erat, sicut & Baptismum, & non certè eius fructum acciperet, sed ut alios, quid facere deberent, suo exemplo, idest Apostolos, eorumque Successores Sacerdotes, ut nempè sacrificantes prius sumerent, & deinde ceteris darent.

89 Hoc supposito timorem, & tremorem, quem idem Christus in quantum homo se ipsum communicans sensisse asseritur, si verba, motiuaque perpendantur, non vanum, & confictum existimari debet, sed mysteriosum, utilemque esse, quisque agnoscat. Verba narrantis proponuntur num. 151. huius tenoris: Postquam Sanctissimum Sacramentum eleuauit ( Christus ) ut ipsum adstantes adorarent, ut dixi, manibus suis Sacratissimum diuisit, seipsum communicauit prius velut primus, summusque Sacerdos, atque se agnoscens in quantum homo Diuinitati inferiorem, quam in suo Corpore, & sanguine consecratis sumebat, humiliavit semetipsum, & deprescit, atque in parte sensitua quendam quasi tremorem persensit. Duo in hoc indicans, siue manifestans. Primum scilicet reverentiam, qua Corpus suum sacrum foret excipiendum. Secundum dolorem presentiens de temeritate, & audacia hominum plurimorum, quos accessuros ad tractandum, & sumendum altissimum eminentissimum Sacramentum.

90 Hec inquam si perpendantur, doctrinaque, quam desuper ex ore Beatissimæ Virginis in fine præsentis Capituli ministrat eius Famula, non vanus, & confictus, sed verissimus, utilissimusque velut efficax incitamentum ad nostram instructionem ab omni Catho-

lico aestimari poterit, rationesque exaduersò adductas velut vanas, & confitas, vim saltim nullam habentes, quisque sibi persuasus agnosceret: Si enim Christus seipsum communicans inferiorem Diuinitati, quam sumebat, in quantum homo se considerauit, quidni hac consideratione se ipsum humiliaret, & deprimerebat? numquid ergò se ipsum sic considerans, ac sumens timere, ac tremere non potuit? potuit sanè, ac debuit non quidem in parte superiori, sed inferiori, siue sensitiva, ut Serua Dei appositi afferit; ultraquamquod timorem, & tremorem non absolute, sed modificate, idest quasi quemdam adstruit.

- 91 Profectò si in morte Lazari Ioann. 11. vers. 33., & sequentibus dicitur absolute, quod Christus spiritu infremuit, seipsum turbauit, lacrymatus est, & iterum fremens venit ad monumentum si Passionem suam in parte sensitiva in quantum homo adeò timuit, vt apparuerit Angelus de Cœlo confortans eum, & eo non suffragante, factus est in agonia, prolixiusque orans factus est sudor illius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Lucæ 22. v. 43., & 44., & in casu nostro timere, ac tremere non potuit in quantum homo, atque in parte sensitiva? potuit, inquam, ac debuit, quin locum discriminis habeat, quidquid excogitetur; motiuum namque, quod in casibus memoratis mortis Lazari, & Passionis præuisit Christus habuit, idem & forsitan amarius habuit in casu nostro, ipsumque Ven. Scriptrix præventione admirabili assignauit, præuisam vide licet ex tunc ipsa Cruce amariorem quamplurium in sumptione tanti Sacramenti audaciam, siue temeritatem, quam, & ibidem tunc audacissimè, ingratissimèque Iudas erat inchoaturus.
- 92 Quantum ad obseruationem tandem assertæ Christi transfigurationis mox ac seipsum communicauit, quod nimis falsa sit, quia absqueulla necessitate, siue utilitate facta, & asserta, satisfecisse putamus respondentes Obseruationi XIX. super num. 1100., vt innotescat enim verò ex verbis Ven. Authoris, quos effectus diuinos, & admirabiles in Corpore Christi sacra communio operata est, eius verba ex num. 1196. producuntur pag. 206. num. 155. ubi per breue temporis spatium Dotes gloriæ ex anima sanctissima sua in Corpus redundarunt, ut in Monte Thabor, idest quantum ad claritatem iuxta dicta ubi supra: hæc tamen res admiranda adiungit, vnicè fuit nota sanctissimæ suæ Matri, quidquam verò agnoverunt SS. Ioannes, Enoch, & Elias, quid verò fuerit illud, ne scitur quidem, nec Dei Famula declarat, quis vel non fuit ei reuelatum, vel quod verius est mandatum non habuit id manifestandi. Concludimus tandem huius transfigurationis falsitatem non probari, quod sufficit, vt immunis à Censura, immò potius piè credibilis aestimetur: Si enim de S. Francisco Borgia in Diuino Officio narratur, pièque creditur ardor Diuinus, quo interius astuabat sese in vultu prodiens dum Sacram Hostiam offerebat, cur non de Summo Sacerdote Christo?

## O B S E R V A T I O XXV.

Pag. 206. num. 157. super verba num. 1197.

Quibus nonnulla à Ven. Dei Famula statuuntur. Primo, quod Christus Dominus S. Archangelo Gabrieli particulam consecratam porrexit, ut ad Matrem suam afferret, qua communicaret. Secundo quod in eius pectore velut in Sacrario Sacramentum fuit repositum, & conseruatum in triduo mortis eiusdem Christi, ibique permanxit quousque S. Petrus primam celebrauit Missam post Christi in Caelos ascensionem quod humanitas Christi in Sacramento remansit in Ecclesia quodammodo iuxta eiusdem promissionem illam : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem saeculi.* Tertio, quod toto tempore ex tunc usque ad nouam consecrationem, & communionem, species consecratae nec alteratae, nec consumptae fuerunt in pectore Beatissimæ Virginis. Quartò exponens Ven. Scriptrix, qualiter id contingebat par. 3. num. 123. docet, quod dum Maria denud species Sacramentales sumebat, haec à solito stomachi loco subtrahabantur, sive que retractæ in corde Virginis collocabantur, quin descenderent in stomachum (infert Censor punctis interpositis non sine dolo, siue iniusta violentia uti apparebit.)

93 Contra hæc opponitur. Primo non verificari Christum, siue eius humanitatem in triduo mortis eius sub Sacramento in pectore Beatissimæ Virginis mansisse: quia tunc Corpus erat ab anima separatum. Secundo non potuisse pariter verificari promissionem illam Christi: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem saeculi:* nec intelligi de praesentia Sacramentali, quia non tunc, sed postmodum ea facta est. Tertio improbabilem esse illam veterum specierum Sacramentalium in corde Virginis ad nouarum introductionem consumptionem, vel enim (arguitur) Deus antiquas annihilabat, & hoc sine fundamento asseritur, vel Christus sub nouis antiquas expellebat, & nec hoc, quia Christus non est sibi contrarius; vel nouæ antiquas expellebant, & minus hoc, non enim sunt contrariae, nec mutuò se expellunt, ut videmus in paxide; restat igitur dicendum, quod cessante miraculo conseruationis antiquarum, istæ corrumpabantur; exindeque necessario ex illis quidquam siue vermis, siue aliud simile in corde Virginis generaretur, quod falsum, inverosimile, & impossibile est fieri in corde eius. Quartò si species Sacramentales in stomachum Virginis non ingrediebantur, sed in corde reponebantur, ut supponi videtur, nec panem sacratum verè sumebat, nec effectum recipere poterat cum non leui iniuria ipius Sacramenti.

94 Respondetur pag. 207. num. 161. usque ad 178., supponendo ante omnia piam communem sententiam statuentem Beatissimam Virginem in nocte Cœnæ sacram Communionem sumplisse mediante Angelo, ut piè creditur particulam de manu, & mandato Domini eidem in suo recessu existente afferente, ut inuisibiliter porridente, modò à Ven. Scriptrice narrato; quod deinde species Sacramentales, quas sumpsit, in eius corde fuerint conservatae velut in

Sacrario, siue legitimo Tabernaculo, siue novo usque ad primam Missam, quam S. Petrus celebrauit, & in qua eadem B. Virgo iterum communicauit, verbis persuadetur, quibus hoc prodigium Ven. Author recenset num. 1197. citato: Sed fusiis, & expressius par. 3. cap. 8. à num. 118. usque ad 125. Vbi de hoc prodigio ex professo tractans modum, quo id factum est in nocte Cœnæ, & postmodum continuatum declarat, rationesque congruentissimas pro pia eius tam quoad substantiam, quam quoad modum credibilitate adducit: quæ exinde extractæ ad literam producuntur à numer. 163. usque ad 169. Sed quoniam fusa sunt, ea pijs, sanisque oculis perpendenda obijcimus: Sic enim quisquis ea consideret, piè prudenti, probabili judicio, siue assensui haud incumbe nequibit.

95 His suppositis facilè ad ea, quæ opponuntur respondetur, & ad pri-  
mum videlicet non potuisse verificari Christum Dominaum, siue  
eius humanitatem in triduo mortis sub Sacramento in pectore  
Virginis mansisse, quia tunc mortuus erat in Caluarij, & iacebat  
in Sepulchro, ac proinde solum Corpus ab Anima separatum con-  
tineri poterat; quoniam hæc oppositio difficultatem, siue contro-  
uersiam tangit speculatiuam inter Philosophos, & Theologos agi-  
tam: an nimirum Corpus Christi facta consecratione in triduo  
mortis ( ut fieri potuisse, est innegabile) esset viuum in Sacra-  
mento, & mortuum simul in Sepulchro. Vel potius utrobique  
mortuum, ab hac controversia præscindimus, dicimusque narra-  
tionem Ven. Dei Famulæ asserentis humanitatem Christi in facto  
mansisse, quam optimè saluari, ut saluantur similes locutiones  
Catholicaæ per figuram Synædechæ intellectæ, hoc est sumpto toto  
pro parte, num. 172. persuadetur, nam Marci 16. v. 2. dicitur:  
*Vt venientes vngarent Iesum: idest Corpus Iesu. In Symbolo*  
etiam Fidei confitemur, quod Iesus Christus sepultus est, idest Cor-  
pus eius, similiter, quod descendit ad Inferos; Sanctissima nempe  
eius Anima unita Diuinitati, idque confirmatur verbis S. Leonis  
Papæ, & S. Birgittæ num. 172. recensitis.

96 Ad secundum nimirum non potuisse pariter verificari in triduo pro-  
missionem illam Christi Discipulis: *Ecce vobiscum sum Ecce*, ut potè  
postmodum factam, respondetur pag. 112. num. 173. fuisse quidem  
verificatam anticipatè, ut animaduertit Ven. Author supposita  
asserta permanentia Sacramentali Christi in corde Beatissimæ Vir-  
ginis, immò & aliter melius verificari nequivit: non enim Chri-  
stus dixit: *Ecce vobiscum ero, sed sum*: quoniam iam tunc erat in  
Ecclesia Corpori mystico unitus, ut etiam ipsa Author mysteriosè  
præuenit, mediante eius Sacramentali præsentia in Sacrario cor-  
dis Mariæ repositus, quæ in triduo mortis totam Ecclesiam repræ-  
sentabat, siue in qua sola tota erat Ecclesia ut S. Bernard., & alij  
affirmant: non enim alibi præsens sub Sacramento erat Christus,  
& consequenter, nec illud sum aliter fuisse plenè, & planè com-  
pletum nisi ( verba sunt eius Ven. Scriptricis ) *hoc miraculo inter-  
ueniente in Ecclesia permanisset*.

97 Ad tertium deinde qualiter videlicet species Sacramentales anti-  
quaæ ad nouarum adventum consumerentur, prætermisis varijs  
liberis curiosis inuestigationibus exaduerso. Inquisitio locum non  
habet

habet in adeò raro, & stupendo facto, sufficit scire, quod sicut miraculosa erat conseruatio specierum, miraculoſo etiam modo antiquæ cessabant, & consumebantur ad nouarum ingressum: Id & non aliud pia Author exprimit par. 3. num. 125. hisce verbis: *Tunc dum de manu S. Petri in prima Missa Sacram sumpsit Communionem ( Maria ) accidit, quod dum nouas species Sacramentales reciperet, antiquæ quas in corde retinebat, consumptæ fuere . . . . hoc ordine miraculoſo ex tunc ad ultimam horam vitæ suæ sacratissimæ species Sacramentales sibi inuicem succedebant, ita ut in virgineo pectore Filius, verusque Deus Eucharisticus nunquam defuit.*

- 98 Quartum tandem, quod obijcitur, falsæ, violentæque verborum. Scriptricis suppositioni innititur, vt ad euidentiam usque eius verba ex num. 124. tertia Parte ad literam extracta, & producta pagin. 114. num. 176. demonstrant, videlicet: *Modus, quo Altissimus tantum prodigium operabatur, talis erat: dum species Sacramentales recepit Maria Sanctissima è communii loco, ubi ingestum coquitur alimentum naturale, declinabant, nè cum modico, quod magna Domina sumebat, miscerentur, confunderentur, & consumerentur, hac ratione Sanctissimum Sacrementum ex stomachi loco retractum in ipso corde Mariæ collocabatur, velut in compensationem ( miranda sane ratio, dignaque notatu ) illius sanguinis, quem in Incarnatione Verbi ad formandam humanitatem ( ex corde velut ex fonte, vt dictum est suo loco ) ministravit . . . . Sacra Eucharistia ( prosequitur ) communio vocatur extensio Incarnationis. Iustum, itaque fuit, vt huius extensionis novo singulari modo felix Deipara partem consequeretur, quæ etiam modo tam peculiari, & prodigioso ad ipsam Verbi Incarnationem concurrerat.*

- 99 Si igitur ( concluditur num. 178. ) adeò expressè statuit, quod species Sacramentales in locum communem stomachi descendebant, & ingrediebantur, ex illoque detrahebantur in cor Mariæ, nè cum paruo alimento, quod ipsa sumebat miscerentur, confunderentur, ac consumerentur, nonoisi iniusta violentia eidem contrarium imputatur à Censore: hæc sufficient pro pia prudenti credibilitate facti adeò stupendi narrati, congruentissimi rationibus si penderentur, persuasi.

### O B S E R V A T I O X X V I .

Pag. 215. num. 179. super verba num. 1199.

Quibus narratur factum miraculosum secretissimum, quod accidit in nocte Coenæ circa communionem Iude, nimis, quod cum Maria Sanctissima agnoscere pessimam eiusdem Iude intentiōnem non communicandi, sed afferuandi, si posset Sanctissimum Christi Corpus, illiciō afferendi ad Pontifices, & Phariseos, ut Magistrum suum afferentem panem illum verum Corpus suum esse, calumniaretur, & accusaret, ipsa zelo honoris Sanctissimi sui Filij exardescens, iussit, Angelos species Sacramentales ex ore infelicis Iude deducere, ut accidisse Mater de Agreda afferit verbis, quæ exaduerso adducuntur, etsi non vt iacent ex integro, sed in parte.

100 Opponitur factum hoc plusquam inuerosimile esse : exinde enim sequeretur Iudam reuerà panem consecratum non comedisse, quod Sacro Textui contrariari videtur, vt potè clarè insinuanti Iudam cum cæteris Apostolis panem consecratum comedisse, Sanctis neconon Patribus id expressè affirmantibus , quorum nonnulli citantur : Vrgentiùs ea contrarietas concluditur ex Sacro Textu Marci 14., ibi: *Biberunt ex eo omnes: superquæ S.Hieron. animaduertit dicens: Et Iudas biberat, sed non saturatur, nec sicut extinguit ignis Inferni, qui indignè sumit Mysteria Christi.* Prætereà id factum fuisse à Beata Virgine perspecta Diuina voluntate id exigente asseritur, ac si ignorasset Christus, quod Iudas eum traditurus esset, indignèque ad Eucharistiam sumendam accessurus, cui non potuisset melius à se impedire traditionis attentatum: tandem ( Censor querit ) in quo Sacratio repositæ sunt illæ species Sacramentales , vt inter alias collocarentur .

101 Respondetur pag. 216. num. 181. , & quidem ad sufficientiam satis demonstrando in primis præiaftam oppositionem non tam esse contra factum narratum à Ven. Abbatissa , quām contra SS. Patres quorum plurimi sub eodem numero citati asserunt, Iudam Sacram Communionem non sumpsiisse , alij verò quos citat , & sequitur Salmeron ibidem relatus , eam opinionem esse probabilem statuunt , idque probabiliter inferunt ex illo Texto Ioann. 3. v.30. : *Cum ergò accepisset ille buccellam, exiuit continuò, idest accepta bucella in coena visuali non expectauit Eucharistiæ assilere ; qualiter autem tantorum Doctorum opinio sit concilianda cum Textibus allegatis insinuantibus Iudam quoque panem consecratum comedisse , & expressius vinum bibisse facile est dicendo , quod ly omnes Marci non sit intelligendum , itaut omnes , & singuli , nullo excepto , biberint : nam ly omnes in propositionibus contingentibus etiam Sacræ Scripturæ limitationem aliquam admittunt uti verb.grat. Omnis homo mendax illam particulam admittunt: neque in ore ipsorum inuentum est mendacium, similiter : Omnes in Adam peccauerunt : in sensu communi Ecclesiæ illam priuatam : Maria in Adam non peccauit : aliæque quamplures , quæ possunt adduci .*

102 Asserta tamen doctrina Ven. nostræ Scriptricis benè inspecta conformior est Sacro Textui , quām præallegatorum Doctorum absolutè negantium Iudam panem , & vinum consecratum sumpsiisse . Ipsa etenim absolutè supponit vtrumque , ad quod saluandum sat est , quod vtramque speciem sumpserit , etsi in stomachum coram discubentibus propter inuisibilem Angelicam ex eius ore extractionem non transmisserit , non enim id in rigore exigitur , vt quodammodo manducasse , & bibisse dicatur , ut necesse non est , quod dum nos Panem Eucharisticum sumimus , verè manducare dicamus , quod ipsum dentibus premamus , ut accidit , dum quidquam aliud manducamus .

103 Factum prætereà narratum piè credibile esse satis probatum extat in Positione principali Class. 3. art. 5. §. vnico ex Doctrina Doctorum , & præcipue Theophilati ad cap. 26. Matth. *Accepto poculo,* ubi factum ipsum quoad substantiam ostendit , solo discrimine intercedente , accidentalí , quod ipse executioni mandatum à Iuda

tradito, quod nostra Abbatissa Ven. machinatum solum, & impeditum zelo Beatissimae Virginis fuisse exponit, & quidem non sine congruentissima ratione, attento statu infelicissimi Iudei, in cuius cor post buccellam panis iactanti Diabolus intrauerat, sedemque posuerat atque teterimum consilium ei suggererat, deferringi, si posset, Dominicum Sacrum Corpus ad Pontifices, & Pharisæos: Cum igitur adeò teterimum Proditoris consilium, & attentatum B. Virgo, ut fas non est dubitare, agnoscet, altèque perpenderet nouam in Filium suum calumniam à Iuda attentatam, atque dedecus indignissimum, quod in uno, eodemque loco, quo Satan sedem collocarat, caro, & sanguis, quem ex ipsa susceperebat, morarentur, quis non piè credet, quod ipsa vtpotè zelatrix Domus, & honoris Dei, & in qua cor viri sui considerat, eo zelo, & confidentia succensa, intellecta aliàs voluntate Dei, Reginæ potestate sibi commissa tunc vteretur, nè ea, quam Iudas machinabatur, contaminaretur iniuria, Angelisque suis mandaret, eam impedirent, modò asterto, & narrato.

104 Porrò id èiusdem zelum, potestatem, & gloriam Matris maximè commendat, in exemplumque, & monitionem nostram plurimùm conduceit, nè ullus Iudas, vtì animaduertit, & monet S. Ioano. Chrysostom. homil.60., ad Sacram Communionem accedere præsummat. Cum igitur aliàs Beatissimæ Virginis, iuxta communem Patrum, & Doctorum regulam concedendum sit, quidquid in eiusdem laudem, & gloriam cedat, factum narratum, vt possibile, pièque credibile admitti debet, dummodò non aliundè alicui principio, cui non liceat contradicere, apertè opponatur, idque solido concludente fundamento probetur, vtì non opponi Sacro præcipue Textui monstratum est.

## O B S E R V A T I O   X X V I I .

Pag.218. num.186. super verba num.1214.

Videlicet: Orationem Christi Domini in Horto fuisse, rogare Patrem, vt transiret à se Calix ille amarissimus moriendi pro reprobis, & quoniam quidem mors erat inexcusabilis, obtineret saltem, si possibile foret, vt nullus hominum periret, quandoquidem Redemptionis pretium, quod pro omnibus offerebat, superabundantisimum erat, & ex parte sua pro omnibus applicabat, vt si fieri posset, omnes inde fructum æternæ vitæ efficaciter consequerentur. Sin autem id possibile non erat, suam voluntatem æterni Patris voluntati resignabat: hanc orationem Saluator noster tribus interuallis repetiit . . . & iuxta nostrum modum concipiendi inter humanitatem, & Diuinitatem Christi Domini quædam quasi contentio intercessit; humanitas siquidem . . . ( puncta hæc à Censore sinistrè interponuntur ) desiderabat, quod omnes per Passionem suam salutem æternam consequerentur, Diuinitas vero repræsentabat, quod Altissimus suis Iudicijs numerus Prædestinatorum iam erat præfixus.

105 Opponitur ab Authore quartæ Censuræ, quod reuerà viro Catholico incredibile fiet: eam nimirum expositionem verborum Christi

104

sti Domini Patrem Aeternum interpellantibus: *Pater si possibile est Ge.*  
*falsam, & erroneam esse: Exinde enim sequitur, quod Christus*  
*sciens voluntatem Dei esse, ut pro omnibus moreretur, non vo-*  
*lebat deliberatè pro Reprobis mori, ac per consequens non vole-*  
*bat voluntatem facere Diuinam, vnaque voluntas alteri erat con-*  
*traria, quod est blasphemia hereticalis damnata in generali Syno-*  
*do art. 4. & 8. Ita inquit Censor. num. 107.*

106 Eundem errorem ( prosequitur num. 108. ) continet velle illud,  
 quod mors sua efficax foret pro Reprobis, & quod nullus eorum  
 periret, sed potius salutem aeternam omnes in effectu obtinerent:  
 quod quippe velle Christus nequibat nisi actu voluntatis delibera-  
 ta ordinantis mortem suam pro Reprobis, quos cum sciret exclu-  
 sos à Gloria ob inscrutabilia Dei iudicia, suæque voluntatis De-  
 cretum, volebat utique contrarium Diuinæ voluntati, quando-  
 quidem iuxta Matrem de Agreda volebat, & contendebat, quod  
 mors sua foret efficax pro Reprobis.

107 Quæro ( concludit ipse num. 109. ) cur Christus mori nolebat pro  
 Reprobis? decresceret ne Gloria Dei, & propria, premium  
 redemptionis? non erat melius morte sua illis promereri præmium  
 aliquod, ut sic causam Dei iustificaret, si postmodum damnaren-  
 tur? Si autem dicatur, quod Christus non resistebat Diuinæ vo-  
 luntati, loquebatur siquidem sub illa conditione: *Si possibile est Ge.*  
 sustineri posset, si loquens aliquis esset inscius, vel si ipse Christus  
 se ipsum considerans secundum sensualitatem, siue naturæ  
 indeliberatam voluntatem, non autem deliberatam: sic enim vo-  
 luntatem Patris sciebat esse, quod pro omnibus moreretur, quod  
 Reprobi damnandi erant, quod Decreta Dei sunt immutabilia,  
 quibus non obstantibus mori pro Reprobis renuebat, deliberatè,  
 ac per consequens excusari nequibat à contrauentione Diuinæ vo-  
 luntati. Ad quid præterea deseruiebat petitio illa conditionalis:  
*Si possibile est Ge.* dum sciebat id non esse possibile: vana igitur, &  
 insensata erat illa conditio. Dicere autem, quod postea se resi-  
 gnauit, non tollit, quod voluntas deliberata, imprudensque  
 illa contentio præcesserint: melior sanè fuisse contentio, si in sua  
 obstinatione Christus permanisset, atque in finem usque non  
 cessasset. Ad hæc in summa ( prætermisis hisce, qui apparent  
 alijsque impropiissimis, parumque dignis terminis, quibus pro-  
 ponitur) oppositio reducitur.

108 Respondetur pag. 219. à num. 191. usque ad 208. modo tamen ea,  
 quæ ibidem fusè dicta sunt, ad restrictum reducuntur, velut falsa,  
 erronea blasphema inuritur Doctrina sanissima, Catholicissima,  
 utpote nihil aliud continens, quam literalem, vel saltem allego-  
 ricam genuinam Sacri Textus Euangelici expositionem, Sacris  
 Expositoribus consonam, saniorque Theologiae conformem, ut  
 ex Textu, & contextu tam antecedenti, quam consequenti ver-  
 bor: Ven. Authoris ad evidentiam usque demonstratur, modòque  
 concluditur.

109 Supponimus prius terminos, quibus communior, saniorque Theo-  
 logia, dum de voluntate Dei sermocinatur, utitur, duplē, prout ad præsens attinet, voluntatem distinguis, non quidem  
 unam, prout exaduerso minus propriè dicitur, de Christo, se-  
 uali-

sualitatis nempè , siue naturæ , & alteram consiliatiuam , siue rationis , sed vnam efficacem absolutam tam subiectiuè , quam obiectiuè , tam in affectu , quam in effectu , alteram efficacem subiectiuè siue ex parte Dei , inefficacem verò , siue conditionatam ex parte obiecti , utramque tamen seriam , ac deliberatam ; Superuacanea sunt exempla , & probationes in re adeo Theologis notoria , quam opportunissimè Ven. nostra explanat verbis infra recitandis .

110 Supponimus item Textualem Doctrinam , quam ipsa præmittit num. 1209. , orationem videlicet , quam Christus Dominus Hortum Gethsemani ingressus secretò , ad Patrem fecit , vt adimpletur de se dictum per Prophetam Zacchariam , vt ad Innocentissimum , & absque peccato mors accederet , Diuinæque Iustitiæ framea suscitaretur super Pastorem , & virum ipsi Deo coniunctum , atque omnem in eo rigorem exerceret , inficto vulnere tali , quod vita etiam ipsa excuteretur : tunc ( inquit Scriptrix ) Christus sese obtulit Patris Iustitiæ satisfactorus pro humano genere , licentiam , consensumque exhibens , ut Passionis , & mortis tormenta in humanitate ea parte , qua passibilis erat , exequerentur .

111 Post hæc ( quæ Censor procul dubio non aduertit , vel noluit forsan ) num. 1210. causam præcipuam tristitiae , quam in ea oratione ad Patrem coram tribus Discipulis passus est Christus , gemitus suos aperiens , ac dicens : tristis est anima mea usque ad mortem : assignat inquiens fusè non solum ob naturalem vitæ appetitum in parte inferiori , verum in superiori animæ , qua tot hominum , quorum amore mortem erat subiturus , reprobationem intuebatur inscrutabilibus Iudicijs , ac Decretis Diuinæ Iustitiæ præfixam : hæc ( ait ) fuit potissima causa mæroris illius : non enim dixit Christus : tristis est anima mea propter mortem , naturalis siquidem amor vitæ minoris fuit illi tristitiae causa à vicina morte , & ultraquamquod mortem suam ad Redemptionem necessariam sciret , voluntas Sanctissime eius parata erat ad superandum omnino hunc vitæ affectum ad nostram instructionem .

112 Deindè Sacri Textus expositionem prosecuta Author nostra concludit verbis hisce exaduerso punctis interclusis , vt dictum est , extractis ad vnguem pag. 221. num. 197. à nobis recensitis : ut autem me explicem circa ea quæ intellexi aduerto , quod hac occasione inter Iesum Reparatorem nostrum , & Aeternum Patrem agebatur negotium maioris momenti , quod eidem homini Deo fuerat commisum humanæ scilicet Redemptionis , Passionis , & mortis circè occultam Electorum prædestinationem pretium , & fructum . In illaque oratione Christus proposuit tormenta sua , mortem , sanguinemque pretiosissimum pro cunctis mortalibus , velut pretium superabundantissimum pro omnibus , & singulis , quotquot nati , nasciturique erant , dum Mundus perduraret . Ex parte humani generis proposuit omnia peccata perfidiæ , ingratitudinis , & contemptus à malis execunda , quibus amitterent fructum Passionis , & mortis suæ ignominiosæ pro iisdem suis contemptoribus acceptatæ subeundæ . Proposuit vna omnes illos , qui ob neglectam suam Clementiam ad sempiternas pœnas erant in aeternum dammandi .

113 Et licet ( prosequitur ) pro Amicis , & Prædestinatis mori gratuū erat

erat nostro Redemptori, mori tamen pro Reprobis amarum, dolorosum-  
que erat: non enim ex parte ipsorum, ratio, motuumque finale erat  
mortis a Domino patienda, & hunc dolorem Maiestas Sua Calicem  
dixit hebraica pharsi communi, qui res valde amara calix appellari  
consuevit. Fuit itaque Calix iste tanto acerbior Christo Domino  
Nostro, quanto certius nouerat Passionem, & mortem suam Re-  
probis non profuturam, sed insuper scandali occasionem maioris-  
que poenae, ac tormenti ipsis ob contemptum futuram.

114 Hucusque nihil non vanum, non Catholicum nihil, nonque ex-  
pressum in Sacro Euangelico Textu, vel ei consonum, ad quae  
conformiter Ven. Author haec, quae exaduerso truncata referuntur  
a nobis recensita, ut iacent num. 1214. scribit: Intellexi igitur  
orationem illam siue petitionem: si possibile est transeat a me Calix  
iste: eod collimasse, ut a Patre Eterno amarissimi huius Calicis mo-  
riendi pro Reprobis transitum impetraret, & quoniam quidem mors  
ei inexcusabilis erat, obtineret saltem si possibile esset, ut nemo pe-  
riret: quandoquidem premium Redemptionis, quod offerebat, su-  
perabundantissimum utique pro omnibus erat, & quantum ex parte  
humanae sue voluntatis erat, id omnibus applicabat, ut omnibus,  
si possibile esset, efficaciter prodesset, sin autem id possibile non erat,  
Sanctissimam suam voluntatem Patris voluntati resignabat: Verum-  
tamen non mea voluntas, sed tua fiat: & nostro quidem intelligen-  
di modo (adiungit) tunc inter humanitatem, ac diuinitatem quæ-  
dam quasi contentio intercessit: humanitas siquidem (haec est clau-  
sula quae interclusis punctis a Censore omittitur) intimo, quo ho-  
mines sue eiusdem naturæ, prosequebatur amore, omnes per Passio-  
nem suam vitam æternam consequi peroptabat, ut Diuinitas repræ-  
sentabat, fixum iam esse numerum Prædestinorum, atque iuxta  
Diuina Iustitia æquitatem, huiusmodi beneficium concedi non de-  
bere his, qui ipsum contemnebant, suaque propria libertate indi-  
gnos se se efficiebant, resistendo id ipsum procuranti, & offerenti.  
Porro ex hoc conflictu orta est illa agonia Christi, oratioque prolixæ  
ad Eterni Patris omnipotentiam appellantis, omniaque possibilia ei  
esse allegantis.

115 Et licet ceteroquin [ inquit num. 1215.] eius oratio, & petitio  
[notentur haec] fuerit conditionata, nonque propterea obtinuit,  
quod sub ea conditione postulabat, ob defectum ex parte Reproborum,  
magna tamen, & frequentia auxilia pro omnibus impetravit, ea-  
que multiplicanda in illis, qui obicem non ponerent, sed excipe-  
rent; Pro Sanctis quidem, & Iustis obtinuit, ut fructus Redemptio-  
nis copiosè admodum communicaretur, pluraque Dona, & Gratiæ  
applicarentur, quibus se se Reprobi indignos efficiebant. Postremo  
[haec etiam notentur] humana [inquit] Christi voluntas se cum  
Diuina conformans mortem, & Passionem pro omnibus respectiue  
acceptauit, pro Reprobis quidem tanquam medium sufficiens, &  
ut eis auxilia sufficientia impertirentur, quibus si vellent uti ad sa-  
lutem, possent: Electis vero velut medium efficax, quippe qui col-  
latæ gratiæ essent cooperaturi. Ita (concludit nostra Ven. Abba-  
tissa) mystici corporis, quod est Ecclesia Sancta, Salus sub suo  
Capite, & Artifice Christo disposita, ordinata, & executata  
est.

116 Placuit adeò fusam Doctrinam (etsi non tanta necessaria erat) Venerabilis Authoris ad vnguem recensere, nedum ut ipsa sanissima, catholicissima utpotè ad literam quasi expositua Textus Euangeli-ci demonstretur, sed etiam ut iniustissima Censura, siue nota falsi-tatis, erroris, blasphemiae hæreticalis vindicetur ex eiusdem ver-bis numeris præcitatibus extractis, & recensitis: quæ quippè si Ce-sor dignè, si diligentè, pièque percurrisset, ab huiusmodi Cen-sura sese abstinuisse, eò & maximè, si ultima verba illa ex nu-mero 1215. excerpta, præiactis tamen cohærentia obiter saltem perlegisset: quibus duplicum hac orationis, & petitionis Christi ad Patrem occasione expressis terminis in Christo humanam vo-luntatem distinguit conditionatam, scilicet unam non subiectiue siue ex parte ipsius, sed obiectiue ex parte Reproborum, quos in Decretis Dei intuebatur à gloria exclusos, alteram absolutam, & efficacem tamen subiectiue, quam obiectiue ex parte Electorum, quos etiam in eisdem Decretis conspiciebat.

117 Primam exprimit verbis illis: *Licet eius oratio, & petitio fuit con-ditionata, nonque propterea obtinuit, quod sub ea conditione petebat, ex defectu Reproborum, eorum nimis salutem aeternam, si possi-bile esset;* Obtinuit tamen pro omnibus hominibus magna frequen-tia auxilia, eaque multiplicanda in illis, qui promptè exciperent, nullumque obicem interponerent: absolutam autem, & efficacem subiectiue, & obiectiue hisce non minus expressis terminis decla-rat: Porro pro Iustis, & Sanctis impetravit, ut fructus Redemptio-nis copiosè admodum communicaretur, pluraque Dona, & Gratiæ, quibus Reprobi propria libera voluntate sese indignos efficerent: hu-manam deinde voluntatem suam Christum resignasse, & confor-masse cum Diuina expressissimè pariter statuit verbis illis: *Huma-na Christi voluntas cum Diuina se conformans mortem, & Passionem accep-tauit pro omnibus respectiue.* Pro Reprobis quidem velut me-dium sufficiens, ut eis auxilia sufficientia tribuerentur, quibus, si vel-lent, uti possent in suam aeternam salutem. Pro Electis vero, & Prædestinatis velut medium efficax, utpotè qui collata gratia essent cooperaturi.

118 Hæc inquam Doctrina, siue expositio literalis adeò sana, Catholica, Sacro Textui Euangelico, seniorique Theologiae conformis est, ut alia fortè, aut senior, aut conformior excogitari nequeat, ac pro-indè eam velut falsam, erroneam, siue blasphemiam hæreticalem continentem existimare, vt à Censore existimat, à grauissima Theologica Censura excusari nequeat. Neque ea fundamentum ullum præbet, ut indè inferatur, vt ab eodem insertur, Christum Dominum mori renuisse pro Reprobis, Diuinæque voluntati hu-manæ ipsius petitione illa conditionali: *Pater, si possibile est, tran-sfusat à me Calix iste:* moriendi scilicet pro Reprobis, non se conformasse, sed potius contrauenisse, non inquam, id inferre licet nisi notoria iniustissima violentia: Si enim Ven. Author non ob-tenta petitione illa conditionata Christi, suam Sanctissimam vo-luntatem Diuinæ absolutè cum Sacro Textu resignasse affirmat, ut visum est, nonnisi violentè extorta mente expressa eiusdem, huiusmodi calumnia imputatur.

119 Neque tandem ex illa quasi contentione, quam iuxta nostrum mo-

dum concipiendi inter humanitatem Christi, & Diuinitatem Authoria  
pia intercessisse afferit in negotio adeò momentoso, & arduo, qua-  
le erat humana Redemptio, & fructus Passionis, & mortis Christi  
pro omnibus acceptatae, prætensa contrarietas inferri valet absque  
pari iniusta violentia: non enim eam contentionem absolutè sta-  
tuit, sed restrictiuè iuxta nostrum modum concipiendi, in eoque sen-  
su fano, & Catholico, quo intelligitur, intelligique debet conten-  
tio illa ex Sacro Textu constans, quæ intercessit inter Moysem, &  
Dominum pro liberatione Populi Israelitici eidem Moysi com-  
missi.

- 120 In confirmationem tandem Doctrinæ Ven. Scriptricis exhibitæ ea-  
dem quasi in terminis producitur pag. 226. num. 207. tūm ex San-  
cta Catharinæ Senensis Scriptis, quām Venerandus Raymundus  
de Capua refert lib. 2. cap. 29. eius vitæ, quamque doctissimus Sal-  
meron. tom. 10. tract. 12. recenset, tūm S. Mariæ Magdalenaæ de  
Pazzis lib. 7. suarum Diuinorum intelligentiarum cap. 28. num. 3.,  
vt videre est; manet ergo stabilita Doctrina nostræ Ven. Abbatissæ  
velut firma, sana, catholica, eiusque contradic̄tio, siue oppugna-  
tio velut parùm tuta, violenta, atque iniusta, eò & maximè si discur-  
sus exaduersò efformati ponderestur.

### O B S E R V A T I O XXVIII.

Pag. 227. num. 209 super verba num. 1231.

Quibus afferitur verba illa Christi Domini ad Petrum: *Converte gladium tuum in locum suum: fuisse paternam amoroſam cor- rectionem Petri, qua velut Caput Ecclesiæ monitus fuit, & instru- etus, quod arma ad eam defendendam, & firmandam deberent esse potestatis spiritualis; neque enim lex Euangeli⁹ præliari prædocebat, vincereque armis materialibus Dæmonem, Mundum, & Carnem, sed humilitate, patientia, mansuetudine, perfectaque Charitate: pugnare autem, & oppugnare armorum strepitu non est Sequacium Christi, sed Principum temporalium ob terrenas poffessiones, gla- diumque Ecclesiæ debet eſte talis, qui Animas potius, quām Corpora feriat.*

- 121 Opponitur in primis præiactam Doctrinam militare contra Sacros Canones, Summorumque Pontificum consuetudinem, qui non semel arma materialia offensiua, & defensiua sumptere, ut bona Ecclesiæ defenderent, & expresse contra constitutionem Bonifa- cij VIII. in Extrau. , qua constat in Ecclesia, eiusque potestate duos gladios esse, materialem nempè, & spiritualem, item oppo- nitur falso omnino esse aſſerere Euangeli⁹ non prædocere vsum huiusmodi materialium gladiorum; id enim docere constat ex Textibus Euangelicis exaduersò citatis: tūm Christi Domini apud S. Lucam: *Vendant Tunicaſ suam, & emat gladium:* tūm Apo- stolorum apud eundem: *Ecce duo gladij hic, ſatis eſt, dixit Christus.*

- 122 Respondetur pag. 228. num. 221. præiactam Doctrinam, ſi mens, ſenſusque planus eius obſeruetur; Sanam prorsus, & Catholicam eſte: Præmiserat Ven. Scriptrix num. 1231. narrationem ſati, quo

S. Petrus Diuini honoris, Magistri defensionis zelo gladium, quem secum habebat, è vagina exeruit, dum Iesum à Militibus comprehendendi vidit, atque auriculam vnius Malcho nomine amputauit: Post hæc clausulam adnotatam scribit, dicens: *Neque etiam voluntati, & Doctrinæ suæ (Magistri) erat conforme personam suam defendere armis offensuis, neque quod huiusmodi exemplum in Ecclesia maneret, quasi de primaria intentione commendatum: ut itaque hanc doctrinam confirmaret, sicuti eam verbo edocuerat, auriculam Seruo amputatam suo loco restituit, itaut eam sanam melius, quam prius relinquenter.*

123 Hæc si digna attentione perpendantur, & præsertim clausula illa, breuiuscum non erat voluntati Christi conforme, quod hoc Exemplum in Ecclesia maneret commendatum, velut de primaria intentione, obiectæ difficultati, subtilitatibusque exaduerso adductis plenè faciunt satis: non enim Ven. Dei Famula absolutè excludit usum armorum materialium in Ecclesia, eiusque Supremo Principi, quasi de secundaria intentione, & ad eius bona temporalia defendenda, sed illa negat, & excludit ab Ecclesia, eiusque Supremo Capite quasi de primaria intentione: Et ad bona Spiritualia contra eiusdem hostes, qui nonnisi spiritualis potestatis armis, humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, & perfectæ Charitatis deuincuntur; contrariumque non Christi voluntati, non Legi Euangelicæ, nec Sequacibus eiusdem Christi conforme esse, sed Principibus Temporalibus ad bona sua terrena defendenda.

124 Dum itaque idem Christus Discipulos in Mundum prædicare, eiusque Sanctissimam Legem euangelizare misit, baculum defensorium, peram, calceamenta, & quidquam aliud secum portare prohibuit, solaque humilitate, patientia, mansuetudine, perfectaque Charitate velut Agnos inter Lupos, ipsos misit armatos contra Demonem, Mundum, & Carnem præliaturos ire: vtì constat ex Textu Legis Euangelicæ per Matth. c. i. v. 10., & Lucam 9. quomodo autem cum hac Christi voluntate, Legeque Euangelica adeò expressa conciliandi sint Textus etiam Euangelici exaduersò præcitatæ ex Contextibus antecedentibus facile Sacri Interpretæ conciliant, nobis satis esse putamus ostendisse breuiuscum clausula illa: *quasi de primaria intentione Doctrinam Ven. nostræ Abbatissæ sanam, & immunem ab omni Censura esse, quin aliud fundamenta contraria conuincere, aut ex illis sine violenta intelligentia colligi valeat.*

## O B S E R V A T I O   XXIX.

Pag. 230. num. 215. super verba num. 1284., & seqq.

Quibus Mater de Agreda narrat, quod *Christus Dominus transacta media nocte Passionis in Domo Caiphæ de mandato Concilij à Ministris fuit in tetro Carcere inclusus, & ligatus, quibus Diabulus suggestit, ut ipsum vestibus omnibus denudarent, eaque verba ei dicerent, atque acta peragerent, quæ in solo execrando pectore Luciferi excogitari potuerunt, & huic suggestioni scelestissimi Ministri non resisterunt, sed opere complere parati erant:*

*verum facinus hoc adeo horrendum, & sacrilegum prudentissimum.*  
*Mater impediuit, & obstat, ne exequeretur.*

125 Opponitur in primis: per adeo horrendum, & sacrilegum attentatum, quale Mater de Agreda narrat intellectisse, inhonestas, obscenas, & nefandas actiones: Vnde eius narratio impura, siue immunda est, quam in mentem vnius Sanctionis venisse mirandum est. Præterea quod Christus Dominus Carceri fuerit mancipatus nec ex traditione, nec ex historia aliqua fide digna constat. Sacri Euangelistæ solùm dicunt fuisse compræhensum, ligatum, & custoditum à Militibus: quod si carceratus fuisset, credibile non est, quod ab omnibus fuisset ommissum. Insuper: et si certò non constet, ubi Christus nocte illa extiterit, ex trinis negationibus Petri coram Caipha extitisse, vel in alia Principis Aula colligitur, ac per consequens non Carceri mancipatus, neque aliás credibile est, quod Carceri quærendo obscuro, profundo, & immundo, vt à Matre de Agreda narratur, incumberent: Immò contrarium colligitur ex S. Luca, qui loquens de tempore tertiae negationis Petri, inquit: *Et Viri, qui tenebant illum, illudebant ei: Si igitur tenebant illum, non erat in carcere positus, non iam tenetur à Militibus, vulgà Sbirri.*

126 Nec ommitti debet (aduertit Censor) petitio illa Mariæ, iuxta narratiuam Matri de Agreda Patri æterno facta, ne concurreret cum secundis Causis ad huiusmodi attentatas actiones, eiusdemque Virginis præceptum, quo Ministrorum potentijs imperauit, ne virtute sua naturali vterentur: Intollerabile quippè absurdum rogare Deum pro Christo, errorque manifestus, quod aliorum orationibus opus haberet ipse: numquid vim, & potestatem non habebat illud impediendi attentatum? erat ne ligata Domini potentia, quia manus eius erant ligatae? vt quid ergo interuentio Mariæ? hæc igitur narratio plena est falsitatibus, absurdis, & inconuenientibus.

127 Respondetur pag. 231. à num. 218. vsque ad 237.. tria, vt appareat, continet oppositio, quibus singillatim fit satis, quod facti narratio impura, immunda sit imaginatio, immundas, inhonestas, obscenas actiones exprimens Ven. Scriptricis, in cuius mentem venisse stupet Ministros à Lucifero suggestos adeo perhorrendum. Sacrilegium attentasse. Stupet reuerà, auresque perhorrescunt respondetur, talem in vllijs mentem venire potuisse cogitatum, qualis appareat de castissima Virgine, Dei Sponsa dilectissima, cuius verba non aliud spirant, quam puritatem, pudicitiam, & castitatem: neque in præsentis facti narratione in spurcissimam Diaboli mentem obscenum quid, & nefandum incidisse vllatenus insinuat ipsa, neque purioribus, modestioribusque verbis facinus attentatum recensere potuit, neque aliud tandem, si verba eius obseruentur, indicat, nec indicare colligi valet, quam totalem Christi inhonestam, impiam denudationem, non quidem in eum finem, quem Censor meditatur, sed vnicè ad irritandam patientiam, & mansuetudinem Agni innocentissimi, & immaculati.

128 Ecce verba vt iacent recensita num. 220. videlicet: *Lucifer optans instantissimè videre in Christo motum aliquem impatientiæ, eamdemque adeo firmam, & immutatam videns, excandescebat, & torquebatur,*

batur, atque Infernali Consilio mancipijs illis sagessit, vt illum ve-  
stibus omnibus spoliarent, talibusque verbis, & actibus affigerent,  
irriterentque, qualia in solo pectore tam execrabilis Inimici concipi  
potuerunt, huic suggestioni Milites non resisterunt, eamque exequi  
voluerunt, prudentissima tamen Mater suspirijs, lacrymis, & pre-  
cibus, atque Reginae authoritate viens abominabile hoc Sacrilegium  
cohibuit.

129 Ad hæc conformiter flagellationem Christi narrans num. 1238. obi-  
terque ibidem Crucifixionem innuens, verba hæc num. 222. recen-  
sita scribit: *Fuit mihi declaratum Diuini Magistri patientiam para-  
tam extitisse ad ea omnia toleranda, quæ salua decentia exequi pote-  
rant, quin ulli opprobrio resisteret, & Carnifices quidem hanc tota-  
lis Corporis Sacratissimi denudationem ignominiosam intentasse, atque  
pannis honestatis, qui soli remanserant, eum exuere voluisse, id ta-  
men consequi non potuerunt, quoniam ad primum eorum contactum  
brachia ipsorum quodam veluti gelo, & stupore illicè corripi senserunt,*  
haud secus ac accidit in Domo Caiphæ.

130 Porro si verba hæc pia meditatione considerentur, nihil inde ne-  
fandi Sacrilegij redolens mens casta cogitare, notareue valet, im-  
pium Sacrilegium attentatum illud ignominiosum totalis denuda-  
tionis pia Author reuerà appellat, vtpotè contra decentiam, &  
honestatem Christi Personæ, non autem nec etiam per apparentiam  
nefandum Sacrilegium, vtì exaduersò inconsideratè, Sacrilegi vo-  
ce usurpata putatur, ac si impium illud attentatum Sacrilegium  
non fuisset, fuit sanè, vtì fuit quæcumque ignominia, siue oppro-  
brium in Personam Christi irrogatum.

131 Non ergò propterea illud exequi permisum est: ad omnia tormenta, & opprobria, quæ salua decentia in Personam Christi à Diabo-  
lo suggesta eius Ministri exequi tentarunt, toleranda eius patientiam paratam extitisse, & sustinuisse Author piissima affirmat, to-  
taliter tamen denudari, & à pannis honestatis exui nunquam per-  
misit. Id Lucifer tot opprobrijs, & tormentis Agnum mansuetissi-  
mum edusque saturatum, immutatum verò videns, atque indè ira,  
& furore accensus teterimum præfatum consilium exequendum  
Militibus suggestit, èd vnicè, vt patientissimum Dominum edusque  
immutatum ad aliquem impatientiæ motum prouocaret, sicque  
sciret, quis esset, an nimirū purus homo? an Deus homo? vtì  
ipsa Dei Famula non semel, sed præsertim num. 128. animaduertit:  
non ergò ( concludimus ) in mentem Diaboli venit talis cogita-  
tus, qualis de castissima nostra Abbatissa exaduersò putatur.

132 Ad secundum, quod objeitur, falsum nimirū esse, Christum Do-  
minum in nocte Passionis suæ positum fuisse in Carcere tenebroso,  
& immundo, prætermisis liberis prorsùs discursibus Censoris, longe  
aliter sentiendum esse respondet pag. 234. num. 225.: Id enim  
in primis constat expressè ex Diuo Hieronymo apud Cartagen. de  
Passione Domini, quem alij sequuntur, constanter asseueranti, im-  
mò supponenti, ac dicenti: *Hactenùs ignota esse, quæ Christus Do-  
minus in nocte Passionis suæ Sanctissimæ passus est in illo tetrico  
Carcere, vtì etiam ipsa Dei Famula non semel testatur, & præci-  
puè in præsenti num. 1283.*

133 Constat deinde, si non expresse, illatiuè saltem ex Prophetia Davidis Psalm. 83. in Persona Christi præuisi absque dubio clamantis, ac dicentis: *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, & umbra mortis:* Ità Dominus patiens per os Dauid., & Ven. Author numer. 1284.: *Cum iam nox medium attigisset, nefarium Concilium decreuit, Salvatorem nostrum, cum Consiliarij ad dormiendum revererent, cautè custodiendum fore, nè forte ad diluculum usque dilaberetur, ad idque deduci, ingredique iussus est in specum, qui erga stulum erat destinatum in perditiſſimorum hominum, & latronum facinorosorum Reipublicæ custodiam:* Ecce locus inferior, in tenebris, & umbra mortis; De quo Dauid Tenebrosum valde ergastulum, & omni luce carens: inquit Dei Famula: *Aſtimatus sum cum descendantibus in locum:* idest cum facinorosis, qui illuc custodiendi collocabantur, tam factulentum: inquit Dei Famula: *vt facile tota Domus infici posset factore, niſi probè remotum, profundum, clausumque eſſet;* traditus sum, prosequitur Dauid, & non egrediebar, donec mane Concilio inito in Domo Caiphæ ( vbi erat ergastulum ) vt̄ dicunt Sacri Euangelistæ, & cum ipsis Dei Famula, indè eductus ad Pilatum fuit deductus. Si igitur præfati facti narratio adeò consona, si non literalis expositio est Prophetæ Dauid: negari haud potest, vel saltem velut falsa, & incredibilis sine aliqua nota, censi nequit ea narratio.

134 Quod autem Sacri Euangelistæ nullam Carceris præfati mentionem faciant expresse, quid indè? quamplura de Christi gestis, scripta non fuisse ab eis, de fide est, nūm exinde falsa putandasunt, quæ postmodum manifestata sunt? absit. Id ipsum præterea, quod Ven. Author desuper narrat confirmatum datur tūm, verbis expressis S. Laurentij Iustiniani de triumphali agonia Christi cap. 10. num. 226. adductis, tūm ex Ven. Ludolpho Cartusiano par. 2. Vitæ Christi cap. 60. in fine: tūm ex Diuo Bonaventur. de eiusdem etiam Vita cap. 75., cui nouissimè adhæret Illustrissimus Suiri Cordubensi Episcop. in Commentarijs Euangelior. tom. 3. tract. 7. cap. 4., vbi post narratas varias iniurias, quas in nocte Passionis Christus subtinuit, ad literam quasi narrationem facti à Ven. Authore recenset, vt videre est numero præcitato pag. 238.; Ad argumentum verò, quod exaduerso formatur ex Sacro Lucæ Textu videlicet: *Si tenebant illum iuxta Lucam: ergo non in Carcere positus erat: qui enim in Carcere positus est, non iam à Ministris vulgo Sbirris tenetur, respondere, velutì futile nè aliter loquamur, omittimus.*

135 Ad tertium tandem, quod obijicitur, videlicet intollerabile absurdum, erroremque manifestum esse asserere Beatam Virginem Patrem æternum rogasse, nè cum Ministris ad totalem Christi sui Filij denudationem concurreret, ac si idem Christus aliorum orationum indigeret, qui potestatem id impediendi, quantumvis manus eius essent ligatae procul dubio habebat. Ad hoc inquam respondetur, Beatissimam Virginem iuxta narrationem eius Famulæ, nedum precibus ad æternum Patrem, sed & lacrymis, & suspirijs effusis, ac tandem virtute, & imperio Reginæ obtinuisse, atque imperasse potentijs Ministrorum nè virtuta sua naturali vterentur ad exequendum impium attentatum, sicque tandem cohibuisse,

buisse, non quia ignoraret potestatem Sanctissimi Filij ad illud attentatum impediendum, aut prælumeret indigentiam, ut orationibus, ac lacrymis suis adiuuaretur, ac liberaretur, sed quia conscientia erat de ordine speciali, quo Diuina Sapientia eidem commisserat (verba sunt Ven. Authoris num. 1291.) defendere honestatem, ac decentiam Sanctissimi sui Filij purissimi in his, quibus offendit de consilio Luciferi, eiusque Ministrorum expediens non erat: ac tandem quia optimè nouerat gratum, & acceptum Deo fore maternum suum zelum, & amorem exhibere in impediendo indecentissimo attentato à Lucifero. Porro Deum orationibus nostris non opus habere Catholici cum Psalmista fatemur: *Bonorum meorum non indiges*: illas tamen coram illo effundere, quis dicere audiabit absurdum intollerabile, erroremue esse, & non potius iustum, laudabile, Deoque gratum, & acceptum? ipsum præterea orationum, siue operum nostrorum non indigere, vt nosmetipsos, cunctosque Peccatores conuertat, etiam fatemur; erit ne absurdum, errorue Deum desuper rogare, lacrymis, ac suspirijs exorare? error manifestus foret id asserere, nonne denique fuit error in Christo Patrem rogare, vt ipsum eriperet de manibus inimicorum suorum, habente potestatem velut verus Deus se metipsum, eripiendi? haeresis aperta foret, non ergo nisi temere velut absurdum errore putari valet, quod Maria Mater Patrem æternum rogaret, vt impediret ignominiam attentatam contra honestatem, & decentiam Sanctissimi sui Filij, ipsaque potestate sibi ad id à Diuina Sapientia commissa vtens, illam cohiberet.

## O B S E R V A T I O XXX.

Pag. 236. num. 228. super verba num. 1358.

Quibus: Miter de Agreda asserit fuisse sibi reuelatam sententiam Pilati contra Dominum, quamque integrum refert dicens eamdem in terminis esse cum hic data anno à Creatione Mundi quinques millesimo, ducentesimo, trigesimo tertio die 25. Martij.

136 Opponitur hanc narrationem falsam esse; non enim Romanis, quorum Imperij autoritate Pilatus Iudeam regebat, mos erat in actis publicis à creatione Mundi tempora adnotare: nec valet dicere, quod Pilatus stylo Iudeorum se conformauit: Licet enim Hæbrei ante ipsorum liberationem à servitute Ægyptiaca tempus à creatione Mundi adnotabant, postmodum tamen ab ea liberatione adnotabant.

137 Respondet pag. eadem num. 230. huic obiectioni satis videlicet fecisse in Responso Positionis sæpè laudatae Class. 2. art. 6., vt videre est: nè itaque tempus in vanum insumamus: ab ulteriore Responso supersedemus; quibus verumtamen adiungimus eam extra chorum, siue scopum examinis esse: non enim contra Fidem, vel bonos mores, vel doctrinam communem Ecclesiæ præiactam sententiæ Pilati recitationem esse probatur; immò nec veritas vlla inconcussa, cui opponatur, adducitur.

## O B S E R V A T I O   X X X I .

Pag. 237. num. 232. super verba num. 1402. usque ad 1408.

Quibus : de Testamento Christi in Cruce Patrem orantis, & allocutis plura scribit Ven. Author, eaque extracta velut valde digna reflexione adnotantur, singulatimque proponuntur. Primo adnotatur clausula, qua assertur Christum Dominum Matrem suam ultima sua voluntate instituisse, ac nominasse unicam uniuersalem hæredem omnium suorum bonorum tam naturæ, quam gratiæ, & gloriæ cum pleno Dominio eorum.

**138** Opponitur, non quod Matrem constituerit Christus unicam uniuersalem hæredem omnium suorum bonorum, sed quod eidem, Dominum plenum absolutum, ut potè independens, soli Deo competit, velut primo principio, siue Causæ rerum omnium concessisse asseratur. Quandòquidem B. Virginai solum conueniat deprecari, siue intercedere apud Deum, ut per Iesum Christum Filium eius nos à malo liberet, bonaque cuncta concedat, nec aliud Ecclesia in B. Virginem agnoscit, quod alij quoque Sancti faciunt. Falsa igitur est hæc clausula Testamentaria, ac proinde Testamentum nullum, nonque in hac parte executum.

**139** Respondetur pag. 240. num. 241., priùs tamen, vt tam huic, quam alijs, quæ obijciuntur siat satis, animaduertitur, negari non posse Christum Dominum ad Æternum Patrem transitum, in Crucemque moriturum suum Testamentum disposuisse, quoniam ultimam voluntatem eidem aperuit, atque morte intercedente confirmavit, vt Paulus ad Hæbreos 9. v. 15. expressis verbis statuit. Id quod etiam Ven. Author num. 1399. miris hisce verbis, & exemplo explanat aptissimo num. 233. adductis; ipsa naturalis ratio (ait) exigit, ut qui Familiæ suæ caput, & bonorum siue paucorum, siue multorum Dominus est, si velut rerum suarum possessor dispensator haberi velit, atque etiam officij sui, & dignitatis laudabilis curator, in mortis articulo voluntatem suam declaret quid de bonis suis in posterum de Familia sua velit, ut successores hæredes sciant suum quemque habere absque lite à Iustitia in hereditatis quietam, & pacificam possessionem immittendi; hisce equidem de causis Testamenta in seculo fiunt.

**140** Ad hæc igitur conformiter prosecuta hæc num. 400. producta scribit dicens: De æternis bonis suis testatus est Christus Dominus declarans, quid quemque concerneret, quis legitimus hæres eorum foret, quis è contra exhereditandus addita in utramque partem causa: hæc autem omnia cum æterno Patre velut Supremo Domino, & iustissimo rerum omnium Arbitro, ac Iudice contulit: In huius equidem Testamenti dispositione euocata, atque (vt ita dicam) recapitulata sunt secreta circa Sanctorum prædestinationem, & Præscitorum reprobationem. Post hæc, aliaque plura, eaque deuotissima, cor quantumuis lapideum emollire sufficientia, quæ Patrem suum in Cruce alloquentem, laudantem, & confitentem Christum protulisse eius Famula refert, priusquam suum Testamentum declararet, voluntatem generalem præmisit verbis tenerissimis num. 236.

re.

recensitis ; eam in particuliari declarare , & aperire cœpit ; & qui-  
dem primo loco Matrem suam dilectissimam declarauit vnicam  
vniuersalem hæredem omnium suorum bonorum verbis recensitis  
num.238. pag.239.

¶ 141 His præmissis obiectioni factæ contra hanc testamentariam disposi-  
tionem Christi erga suā dilectissimā Matrem respondetur pag.240.  
num.241. eam nimirūm oppositionem in æquiuoco laborare , Do-  
minium videlicè plenum , & absolutum bonorum liberè à Testato-  
re hæredi constituto commissum cum Dominio omnino indepen-  
denti ab eodem Testatore confundendo . Deinde Christum hæ-  
redem quidem esse constitutum à Patre cum potestate plena , &  
absoluta dispensandi omnia sibi tradita siue in Cœlo, siue in Ter-  
ra , nosque eiusdem cohæredes de fide credere tenemur , nonque  
propterea ea potestas , siue Dominum Christi independens , so-  
lique Patri competens dici valet : Id error sanè esset, dum  
ipsem fatetur omnia sibi tradita esse à Patre . Licet ergo astera-  
tur Christum sua ultima voluntate Sanctissimam Matrem omnium  
suum bonorum hæredem vniuersalem constituisse cum Dominio  
pleno , & absoluto , ea pro libito suo dispensandi , non exinde in-  
ferri valet huiusmodi Dominum independens afferi , sicuti ex eo,  
quod Pater Iesum Christum Filium eius vniuersalem omnium  
suum bonorum cum plena potestate , ac dominio ea dispensandi  
pro libito constituit , inferri valet eam potestatem independentem  
omnino à Patre esse , vtì ex terminis patet .

¶ 142 Quanta deinde , & qualis fuerit potestas , & Dominium Cœli , &  
Terræ Reginæ concessa , si SS. Patres, Sacrique Doctores Mariani  
consultantur , plenum , & absolutum fuisse , & esse pleno ore fateri  
inuenietur ; idque cum ipsis Classe IV., dum desuper peragetur,  
planè constabit ; Interea tamen non aliud Reginæ supremæ con-  
cedere , quād quod alijs Sanctis conceditur , nec Ecclesiam aliud  
in ipsa agnoscere , siue fateri , quād deprecari , siue intercedere  
apud Deum , vt nos à malo liberet , omniaque bona elargiatur,  
vtì exaduerso afferitur , potentissimam super omnes Santos ma-  
num , siue autoritatem eius denigrat , Sanctorum Patrum , &  
Doctorum piam confessionem deturpat , atque omnium Fidelium  
confidentium in eiusdem Reginæ potestate , ac Dominio aures  
offendit .

¶ 143 Secundò notatur , & opponitur huic clausulae testamentariae , qua  
asseritur : *Christum Angelis bonis in proprium æternum habitationis  
locum Cœlum, & in eo gaudium, & possessionem visionis, & fruitionis  
Diuinitatis, malis verò Infernum in mansionem sempiternam, simul  
que priuationem gloriae designasse*, opponitur, inquam eam clausu-  
lam superfluam , nonque Christo velut homini competentem esse ;  
visio siquidem clara , & fruitio Diuinitatis præmium est essentialē  
Sanctorum Angelorum concernens , vtì illius priuatio , siue ex-  
clusio poenam principalem malorum : Præmium illud essentialē  
non dependet à Christo velut homine , cùm non sit quantum ad-  
hoc Saluator , & Redemptor Angelorum , nec pariter Dæmonum  
poena ab eo dependet , sed utrumque à solo Deo . Præterea Deus  
à principio Mundi Iudicium fecit , dispositionem , ac retributio-  
nem ordinavit , atque tunc tam in Angelos bonos , quād malos

- sententiam protulit, protinusque executioni mandauit. Ad quid ergo deseruaret hæc Christi sententia? quem effectum sor-  
tiri posset?
- 144 Respondetur pag. 241. num. 243., modòque non sine admiratione  
respondere cogi fatemur; An huiusmodi oppositio sanam, tutam-  
que doctrinam, an potius Censuram Theologicam dignam conti-  
neat?, id Sapientissimi Iudices videant; negatur in primis, quod  
Christo Domino in sensu Ven. Authoris absolutè vimirùm non  
competat prémium essentiale visionis, & fruitionis bonis Angelis  
conferre, vt nec malis poenam principalem: Id enim (arguitur)  
non Christo, vt Homini, sed vt Deo, & soli conuenit, nonque  
ipse quantum ad hoc Saluator, & Redemptor Angelorum bono-  
rum fuerit. Negatur præterea eidem, quod sententiam declara-  
toriam Testamento suo in Angelos bonos, & malos proferre potue-  
rit, eò quod à principio Mundi ea sententia à Deo fuit lata, mox-  
que executa.
- 145 Hæc exaduerso obiecta seriò consideranda à discretissimis Iudici-  
bus submittimus, egrèque laturos audire non dubitamus, & me-  
ritò: negatur equidem Christo absolutè in sensu præcipue Ven.  
Scriptricis per sententiam declaratoriam prémium essentiale Bea-  
titudinis Angelis bonis, & malis poenam principalem competere,  
nonque esse quantùm adhoc Salvatorem, ac Redemptorem bono-  
rum, à sensu communi Catholicorum Doctorum adeò alienum  
est, vt frontem contrahere non valeant, si ab aliquo Viro pio Ca-  
tholico id supponi, vel sublineri audiant. Secundum pariter,  
quod opponitur in eadē nauī est: Christus namque in fine Mundi  
velut Iudex vniuersalis à Patre Æterno constitutus viuos, & mor-  
tuos iudicare venturus est, vt fides docet, non vt Deus, sed vt  
Homo, cui Pater potestatem dedit Iudicium facere, quia Filius  
Hominis est, teste S. Ioann. cap. 5. s. Euangelij, sententiamque  
proferet in bonos quidem dicens: *Venite benedicti &c.*: In malos  
autem: *Ite maledicti &c.*: prémium essentiale illis, poenam prin-  
cipalem istis, atque utrisque locum perpetuæ habitationis desi-  
gnando, siue declarando; sed quomodo sic? Si huiusmodi senten-  
tia ab initio Mundi à Deo ipso, ac proindè ante aduentum Christi  
iā fuit lata?, & successuè in dies feratur, dum Homines mo-  
riuntur ad quid deseruier noua hæc sententia Christi in Iudicio  
vniuersali ferenda? quem effectum sortiri poterit? ad quid tan-  
dem tunc declarare, quod à tot annis boni, & mali iam posside-  
bant? factum de Fide Catholica futurum respondeat, idque ne-  
gans judicetur.
- 146 Tertiò notatur clausula, quà Christum Dominum electos, & Præ-  
destinatos hæredes omnium suarum virtutum declarasse afferitur,  
eosque superiores esse in excellentia Reprobis, ac Dæmonibus; Cui  
hæc sit oppositio, quantùm ad primum quidem, quod mendac-  
iem faciat Scriptrix Deum; referens namque omnes illas virtutes,  
quas Christus Electis, & Prædestinatis in hæreditatem designauit  
sub possessu nomine mea vocat, atque inter eas Fidem, Spem,  
& Charitatem indicans sic, quod sicut Christus humilitatem,  
mansuetudinem, ceteraque virtutes habuit, fidem pariter, &  
Spem habuit, & exercuit, quod planè mendacium est, nisi in-  
ten-

tendere voluerit Mater de Agreda, quod etiam hæ virtutes suæ (Christi) erant efficienter, quod declarare debuerat, ne errandi occasionem præberet. Quantum ad secundum arguitur, quod illa declaratio superioris excellentiæ Electorum respectu Dæmonum, ac Reproborum superflua omnino fuerit, Illam enim excellentiam in vi prædestinationis habebant: nihil ergo eis Christus nouum in Testamento reliquit.

147 Respondetur pagin. 242. num. 246. ad primum quidem quantò fuerit desuper arguens hallucinatus, ex ipso Ven. Authoris Sextu apparere, nam post verba illa. *Istos [electos] post Matrem meas purissimam nominō, ac declaro Heredes omnium mearum virtutum, promissionum: : : meæ humilitatis, & mansuetudinis cordis;* prosecuta deinde, ac loquens in particuli de Virtutibus Fidei, & Spei, non iam prò nomine possessio mearum vtitur, sed absolute eo omisso heredes earum Virtutum declarat, dicens hispanicè: *De las virtudes, Fe, y Esperanza: Sciebat namque peroptime ipsa, & melius Christus per ipsam loquens, eas virtutes in se formaliter non habuisse; Dicitur formaliter, in se, causaliter quidem, siue efficienter quodammodo habuisse, proindeque in hoc sensu suas appellare potuisse, negari nequit, vii etiam exaduerso supponitur: nec opus fuit hunc sensum Scriptricem aperire, ut occasio errandi vitaretur.* Si etenim ipse Adnotator, vel alius forsitan id apprehendat, ex violenta intelligentia verborum non ex verbis ipsis proueniet: *Dominum Virtutum: à Rege Propheta Christus appellatur: Si intendere per hoc voluit, quod omnium Virtutum etiam Fidei, & Spei sit Dominus, quasi suarum formaliter, mendacium est Prophetæ.* Si suarum dumtaxat, efficienter, id declarare debuit, nè occasionem errandi præberet, quod absit cogitare.

148 Ad secundum quod obijcitur, quod nimis illa declaratio superioris excellentiæ Electorum respectu Dæmonum, & Reproborum superflua fuerit, eò quod in vi prædestinationis illam iam habebant, aliud respondere opus non est, quam super dicta recolere, prudentique iudicio decidendum relinquere, an quod ab æterno Deus statuit, ac decrevit in tempore exequendum, potuerit à Christo declarari, siue manifestari? quod porrò argumento proposito cum à Censore negari videatur, iudicent alij, an id, salua fide, sustineri valeat.

149 Notatur tandem clausula illa, qua asseritur, quod *Christus Præscitis, ac Reprobris in partem hæreditatis designauit concupiscentiam Carnis, & oculorum, superbiamque cum omnibus suis effectibus: contra quam opponitur: Si Christus dixisset Testamento suo: permittó, quod Reprobi sint luxuriantes, superbii &c. tolerabile quidem foret: adiungere vero: assigno: blasphemia est.* Id enim consensum posituum Christi exprimit, ac per consequens Reprobi bona conscientia possent illis vti velut proprijs Christi in suo Testamento in hæreditatem relictis, ad modum quo, dum Abraham Ismaelem exhæreditavit, partem aliquam tamen bonorum assignauit, ipse abs dubio potuit bona conscientia illis frui.

150 Respondeatur non sine admiratione pariter eiusmodi objectionem, cuiquam occurtere potuisse, similiaque subinserri, qualia apparent:

rent : velut tolerabile exaduerso supponitur , quod plusquam certum est , nimirum : dixit permitto : tantum , sed adiungere assigno Reprobis , & Præscitis in partem hæreditatis concupiscentiam Carnis cum omnibus suis effectibus in hac mortali vita : consensum positivum Christi desuper exprimit , non inquam sine admiratione responderet : dum enim Dei Famula clausulam adnotatam refert inquit : assigno , & permitto : non assignationem à permissione disiungit , sed permissionem assignationi adnectit , & copulat , ut eam exponat , sive excludat consensum positivum Christi , atque declarat non ea , quæ Reprobis designat in partem hæreditatis in hac mortali vita bona , & propria Christi esse , sed potius contraria suæ rectissimæ voluntati , utpote propria voluntate ab illis electa , proindeque permissa .

- 151 In hoc igitur sensu adeo expresso , quid non Catholicum ea narratio continet ? quid blasphemiam redolens apparet ? nihil sanè , si præterea obseruetur discrimen , quo clausulam testamentariam respectu Prædestinorum à clausula respectu Reproborum concernente Ven. nostra Abbatissa assignat catholichissimam hanc etiam esse , apertissimè constabit : illam etenim ex hispanico in latinum fideliter versam num. 1405. hisce verbis recenset : cum omnimoda voluntatis meæ plenitudine voco , eligo , & seligo Iustos , & Prædestinatos , qui meæ gratiæ , & imitationis ope futuri sunt salui : & paulò infra : hos nomino in hæredes Crucis meæ , pœnarum , opprobriorum , contemptum , paupertatis , & nuditatis : Aliter , alijsque terminis voluntatem testamentariam respectu Reproborum refert , & declarat num. 1407. videlicet : Præscitis , & Reprobis à nostra voluntate ( et si in finem alterum creati fuerint ) designo , & permitto , sit eorum pars , & hæreditas in hac mortali vita concupiscentia Carnis , superbia oculorum &c. edant , & satientur de arena Terræ , diuitijs scilicet , vanitate , & præsumptione mundana , in quorum possessione acquirenda suam voluntatem , sensus , potentias , donaque , & beneficia à nobis illis collata impenderunt , & conuerterunt , atque ipsimet propria voluntate elegerunt .
- 152 Et quoniam [ prosequitur numero immediato ] ea cuncta contra nostram voluntatem Diuinam , obstinatique in sua malitia permanentes , Iuri filiorum , quod ego eis acquisiui , renunciarunt , ipsos ex hæredo amicitiæ , & gloriæ meæ sicut Abraham Filios Ancillæ à se separauit , bonis quibusdam eis relictis , assēm verò principalem filio Saræ liberæ destinauit ; Ita ego ( intellige proportione seruata ) separo , & excludo Præscitos ab hæreditate ( meæ gratiæ , & gloriæ ) cum bonis transitorijs , & Terrenis , quæ ipsimet voluntariè elegerunt .

- 153 Hoc igitur adeo notorio discrimine exposito stante , nescimus sanè , immò miramur quomodo exinde Censor inferre potuit positivum consensum Christi circè ea , quæ voluntate permissua , velut partem hæreditatis in hac mortali vita fruenda declarauit Reprobis , quæ ipsimet propria voluntate contra Diuinam elegerunt ; quomodo bona Christi propria æstimare potuit ? Quomodo his bona conscientia frui posse asserit ? hoc pariter alij iudicent præoculis habentes Doctrinam Sanctorum Patrum , & Doctorum mysticorum suauem Diuinam Prudentiam admirantium erga suos ele-

atos, & amicos, Inimicosque pariter, & Reprobos : Illos etenim hæredes, & participes facit Crucis Christi, poenarum, opprobriorum, afflictionum, contemptum, humilitatis, & paupertatis in præsentि vita, vt ipsa Ven. Author verbis supra recentis, & alibi passim insinuat. Quare ita ?, quia ipsis vti amicis, & electis gloriam beatificam in præmium in futura reseruat, quia ipsi ea omnia per imitationem Christi in eum finem propria voluntate, ope tamen Diuinæ gratiæ elegerunt; Inimicis autem, & Præscitibus, quoniam nullum in futura vita præmium, nec spes reseruatur, sed ipsimet propria voluntate sese excludunt, & priuant, Deus benignè illis permittit, vt in hac vita delitijs, diuitijs, bonisque terrenis, & transitorijs fruantur, eaque velut partem hæreditatis illis designat, declarat, ac permittit, quia propria voluntate contrà Diuinam ipsimet elegerunt, iurique Filiorum renunciarunt.

## O B S E R V A T I O XXXII.

Pag. 243. num. 249. super verba num. 1424.

Videlicet: *Videns Lucifer vires suas per mortem Christi debitatas, & confractas, Dæmones eius sequaces in consilium euocauit, positusque in loco eminenti, longum discursum eis proposuit, quo inter alia animum suum aperuit damna ex morte illis illata impedire prò Viribus curari, quod si, dixit, mea superba indignatio non mitigatur, bellum perpetuum huic Redemptori, Matri suæ, & hominibus facere non cessabo: : : quoniam autem anceps erat de modo applicando, dictamen Dæmonum aliorum desuper exquirebat dicens: Eia ergo volo omnes vos me adiuetis omni possibili conatu, quin tempus, occasionemue ullam omissitatis in exequendis mandatis meis. Tunc ( inquit Mater de Agreda ) cum ira singillatum suum aperuerunt dictamen, atque per unum annum quasi hæc conferentia perdurauit.*

154 Opponitur sic: Si Mater de Agreda id vidisse visione imaginaria afferit, nollem impugnare: Cum verò id historicè velut factum recenseat, figmentum est multis de causis. In primis locus ille eminentis, in quo Lucifer positus dicitur mera fictio, & stultitia est, ac si unus alterum videre, audireue alterius dictamen nequeat, quin opus sit in altum ascendere, nec minor stultitia est approximatio illa Dæmonum in conferentiam, ac si more hominum loquantur, vel surdus esset Lucifer, volens proindè, quod ad aures loquerentur. Impossibile præterea est Luciferum dixisse: *Si superba mea indignatio non mitigatur: attenta eius inflexibilitate, statu, & obstinatione; est deinde incredibile, quod illa conferentia per unum annum perdurasset, vt media inquirerent, & damnis ex morte Christi imminentibus occurrerent: Ipsi etenim dum finem aliquem sibi præfigunt, media ad illum protinus agnoscent.* Quid tandem exinde concluserunt? nihil sane aliud quam quod semper fecerunt, falsam nimis rūm doctrinam seminar, homines ad vitia instigare, & unico verbo eos tentare, ad quod non opus habebant tot mensium tempus impendere, nam quis

quis ignorat veram Doctrinam falsa corrumphi, fidem hæresi, virtutes vitijs: quantò igitur superflua est illa conferentia, tantò ficta est.

155 Respondetur pag. 244. num. 251., & seq., & licet huic oppositioni satisfecisse credamus respondentes Observationi XXVI. super prima Parte iisdem quasi terminis propositæ, fusiùs hic, vt ibidem præmisimus, respondeatur, quod igitur Ven. Author nedum Conciliabulum, de quo in præsenti occasione triumphi Christi in Cruce de Lucifero, eiusque Sequacibus deuictis, viribus contractis, & in profundum abyssi detrusis, sed & quamplura alia Conciliabula, Congressus, & confabulationes, ex quo ipse cum Sequacibus projectus est in Tartara, eösque occulta prò machinandis insidijs, belloque inferendo aduersus Dominum Christum, Sanctissimam suam Matrem, & Homines, qui sunt de semine eius, de facto iniisse, nonque ex tunc cessasse, nec cessare die, ac nocte iugiter accusando, ac persequendo, non quidem velut per imaginationem, sed velut facta superno lumine, vt piè creditur, siue per spiritualem intelligentiam historicè ipsa describit, vt ipsa Parte prima num. 121. primum Concilium Luciferi cum Sequacibus referens animaduertit: *Hic ego illa (peracta in Concilio) proferam secundum possibilitatem meam, sicut spiritualiter mihi sunt manifestata.*

156 Qualem autem, & quantum furorem Luciferi inde contra ipsam conceperit, eò quod eösque nunquam cogitauerat ea fore hominibus manifestanda, Beatissima Virgo Famulam suam instruens, ac præueniens eidem aperuit verbis hisce par. 3. num. 306., quia in hoc Capitulo, & tota hac historia conciliabula, & secreta malitia horum malignantium Serpentum propalasti, scias, sunt contra te valde stomachati: putauerant equidem nunquam in mortalium cognitionem ea ventura, neque homines percepturos, qua aduersus eos in suis Congressibus, & Conferentijs moliuntur, eaque propter satagunt ex indignatione, quam in te conceperunt, vindictam sumere.

157 Ex hac piè credibili veritate, incredibile fit ullum Catholicum posse dubitare, & multò minus velut figmenta existimare ea Dæmonum conciliabula, congressus, confabulationes: quid enim alias Lucifer desiderare plus posset, quam homines incautos, & incredulos inuenire, qui velut figmenta ea crederent, vt facilius eos deciperet? quid magis Pater mendacij suggestore valeret se ipsum excusare tentans? hac itaque, quamvis alia non esset ratio, incredibile est ullum posse præia tam Doctrinam Ven. nostræ Scriptricis de Conciliabulis, Congressibus, confabulationibus, & machinamentis, velut figmenta existimare, adsunt verumtamen quamplura, eaque satis efficacia ad rem præsentem exempla tūm in Sacris Scripturis, tūm reuelationibus priuatis, tūm historijs Ecclesiasticis.

158 Sat sanè foret præium illud magnum, quod S. Ioann. Apocalip. 12. non per imaginariam visionem, sed per spiritualem intelligentiam lumine propheticō historicè velut factum describit inter S. Michaelem, & Angelos eius ex una parte, & Draconem, siue Luciferum cum suis ex altera. Numquid huiusmodi præium inconsultè absque Concilio, congressu, confabulatione fuit initum? Numquid Angeli,

geli, qui ex vna parte stantes prælibabant aduersus alios in vnum simul non conuenerunt? Numquid Lucifer, qui tertiam partem Stellarum cauda sua è Coelo traxit in suum animum, sequaces ad duellum, & rebellionem non incitauit? Concitauit vtique in congressu tunc desuper euocato, animum, motuaque superbie, arrogantiæ, & indignationis suæ representando, vt arma sumerent in bellum, arma inquam spiritualia naturæ, & conditionis propria, iuxta intelligentiam Sanctorum Patrum, & Sacrorum Expositorum.

159 Sit verumtamen exemplum ex reuelatione Micheæ Prophetæ, quæ historicè describitur 3. Reg. cap. 22. ad literamque refertur pagin. qua supranum. 252.. Sit preterea illud, quod lib. Iob. cap. 1. narratur, recenseturque num. sequenti: Super cuius verba Doctissimus Zelada in Iudith. c. 13. § 24. *huic quæsito, an huius Concilij acta, ita ut scribuntur, vel potius per metaphoram accipienda sint?* respondens ait: *Minime fuisse imaginariam visionem, sed Concilium in Terris celebratum, uti docet S. Ambros. quæstion. 8. ad Antioch. , & S. Augustin. in adnot. ad Iob. , & pro hac interpretatione stant Nazianz. , Lactant. , Lyra , & Hugo;* Idque velut figmentum putare calumniam Lutheri suscitaret, qui dicebat: *Se nolle credere, quæ in libro Iob sunt congeta: & titulo de libro noui, & veteris Testamenti: Librum Iob esse velati fabulae figmentum:* his adiungi posset argumentum à paritate ex verbis S. Petri Damiani Serm. de Annunciat. Virgin. euocatur Conuentus, init Deus Concilium, cogit Consilium, facit Deus Sermonem cum Angelis de restauratione eorum &c.

160 Alia his adiunguntur exempla historicè relata ex reuelatione numer. 253., vt videre est, quot tandem conuenticula, confabulationes, collocutiones Dæmonum Authores Ecclesiastici, & præser-tim Vitæ Spiritualis descriptores, ac Magistri ad ea præcauenda nobis ministrant, & recensent? Si ergo ea omnia non figmenta, sed verissima sunt vt potè deprompta ex Sacris Scripturis, priuatis reuelationibus, & historijs Ecclesiasticis, conciliabula, confabulationes, machinamenta Dæmonum cum Lucifero velut Præside, quæ Ven. Author velut facta historicè recenset, non velut figmenta, sed verosimilia, pièque credibilia existimari debent; etiam quoad Loci eminentiam, quem Lucifer occupauit in Concilio, temporis necnon perduracionem impensi pro insidijs, medijsque excogitandis ad id conducentibus, quin obstant, vel vim aliquam motiuam exaduersò adducta habeant; Sunt equidem potius discursus ideales, subtilitates, imaginationes ad rem præsentem non pertinentes, vel, si liceat loqui, ad veritatem stabilitam obscurandam. Ad id tandem, quod exaduersò inquiritur, quid nimis ex relato Concilio conclusum fuit? Si numeros sequentes Authoris Censor obseruasset, adeò horribilia Decreta executioni mandanda inuenisset, qualia considerato Mundi, & Ecclesiæ statu non sine plantu verorum Filiorum eius Fidelium experiuntur, videnturque.

## O B S E R V A T I O   X X X I I I .

Pag. 245. num. 254. super verba num. 1471.

Videlicet: *Mox ac Christus resurrexit, Matrem suam visitauit, cuiusque Corpus gloriosum conclusit in se Corpus Matris, sequentem illo penetrauit.*

161 Opponitur: non constare neque ex Euangelio, nec ex vlla Sacra Scriptura, quod Christus resuscitatus protinus ad Matrem visitandam se contulerit, et si id sit traditio; admisso tamen ita factum fuisse, vt Matrem solaretur, illam in se conclusisse, & se cum illa penetrasse, vt quid? quid significat? ad quid deseruuit? scio (inquit Observator) quod Christus, & Maria mutuo se diligebant perfectissima charitate, & amore amicitia, amoremque vim habere unituam non Corporum, sed Animarum. Scio etiam Aristotel. approbasse illud Aristophani: *Amant desiderare ex duobus fieri unum:* Sed quia ex hoc sequeretur, aut utrumque, aut alterum corrupti, rationem querunt, quae decet, vt scilicet simul colloquantur, & conuersentur. Posito itaque quod ex illa invisceratione, & penetratione nec Christi, nec Mariæ destrutio sequeretur, satis esset ad mutuum amorem exhibendum, simul coniugi, & alloqui; quae ergo necessitas, siue utilitas ad id penetrationis? quae conuenientia, siue decentia? nulla sanè, immo potius non leuis indecentia esset huiusmodi penetratio.

162 Respondet pagin. 246. num. 254. Primò, quod dum agitur de fauoribus, quantumuis extraordinarijs à Christo Domino suæ Santissimæ Matri concessis superuacaneum est satisfacere pro Voto inuestiganti rationem cur? ad quid? vt enim dictum est non semel, atque insa Ven. Author plurijs animaduertit, huiusmodi fauorum concessio regulanda est vnicè cum Diuina Omnipotentia, amoreque immenso, quo Dominus Matrem suam prosequebatur, atque cum Dignitate, ad quam ipsam super omnes Creaturas sublimaverat: quod si enim verò ratio pro fauoris, de quo in præsenti, concessione desideretur, eam congruentissimam quidem Ven. Author assignat num. 1470. dicens: *Quia nimirum iam præcesserat Passio Sanctissimi sui Filij, & merita, quæ in ea Diuina Mater collegerat, & secundum multitudinem dolorum abundantia consolationis de Omnipotentis Filij manu respondebat: expressius tamen num. 1472. inquietus;* *Quia æquitas Diuina iuxta nostrum modum intelligendi voluit compensare illam quasi iniuriam (loquor ita, vt me explicem, quia non mihi occurrit, quo me explicem verbo) qua Creatura adeo pura, & absque peccati macula affecta fuit in perpetiendis Passionis Dominicæ doloribus, ac tormentis, quæ cum illis Liberator noster Christus Dominus pertulit, gemina prorsus, eademque fuere, in præsenti itaque Mysterio gaudium, & fauor respondebat afflictioni, qua Diuina Mater antea fuit discruciatæ.*

163 Indecentiam non leuem, quam ex prænarrato fauore Censor sequi existimat, Textus ipse Ven. Authoris num. 257. relatus procul remouet à mente saltim piè, & castè cogitante. *Ad ingressum (inquit) Christi gloriosi resuscitati SS. Patribus, & Patriarchis associati,*

*ti, humillima semper Mater se in terram prosternens Filium suum  
Sanctissimum adorauit, ipseque eam erexit, atque sibi approximauit,  
Et hoc contactu, maiori quidem illo, quem Magdalena accipere  
peroptabat ab humanitate, Et stigmatibus (Christi) Virgo Mater fa-  
uorem extraordinarium accepit, quem sola promereri potuit: fuit  
hoc beneficium, quod Corpus gloriosum Filij in se ipso conclusit illud  
purissimæ Matris, se cum illo penetrans ad modum quo si Christalli-  
nus globus clausum in se solem haberet, quem ipse sol splendore, ac  
lucis plenitudine repleret.*

- 164 Porrò non videtur Dei Famulam decentiori modo loqui potuisse  
ad explicandam penetrationem, de qua loquitur: non enim in  
primis ea in sensu, quo à Censore apprehenditur materialis vide-  
licet, & corporalis, intelligenda est, sed spiritualis, & mysticæ,  
modòque intelligitur inuisceratio, compenetratio, commixtio  
Corporis Christi Eucharistici, cum ipsum dignè recipiente, & quo  
conglutinata est anima Ionathæ cum anima Dauidis; Præterea  
etiam ea in sensu rigoroso accepta, si absque vlla indecentia etiam  
remotissima creditur, quod Corpus nondum gloriosum cum clau-  
stro Virginali fuit penetratum verè, & realiter; Si seclusa parti-  
tè omni indecentia persuademur, quod Corpora Beatorum glo-  
riosa vi Dotis subtilitatis mutuo se penetrari poterunt; Si denique  
de Eliseo asseritur, quod mensus fuerit cum puerō, quin inde vlla  
indecentia argui valeat, longè minus ex penetratione, quam Ve-  
nerabilis nostra Abbatissa castissima refert, attenta similitudine  
christallini globi solem in se ipso incidentis.

## O B S E R V A T I O    XXXIV.

Pag. 247. num. 259. *super verba num. 1473.*

Quibus asseritur, quod Mater Dei SS. Patres, qui cum Christo  
resurrexerunt cognouit, primò quidem SS. Patrem Ioachim, Et An-  
nam, Et post Patriarchas, Et Prophetas, Adamum, Et Euam, qui  
omnes ipsam velut Matrem sui Redemptoris venerati sunt, Regina-  
que Virtutum vicissim humi prona, reverentiam eis exhibuit.

- 165 Opponitur, quod purè voluntariè, absque fundamento Scripturarè  
vel Patrum id asseritur.
- 166 Respondetur pagin. eadem num. 261. fundamentum hoc nullius  
esse momenti sèpè sèpius dictum, & probatum est: aliàs nihil non  
constans expressè, vel illatiuè saltim ex Sacra Scriptura, & Patri-  
bus admitti posset, sed velut merè voluntariè dictum reputari, ac  
reijci deberet, vtì ab Hereticis modernis reputatur nihil admitten-  
tibus, nisi quod ex Sacris Scripturis, vel Sanctis Patribus commu-  
ni calculo constat, contra quos acriter inuehuntur Catholici Do-  
ctores: gratis igitur, & merè voluntariè præacta Doctrina  
Venerabilis Authoris velut digna Censura ex eo capite no-  
tatur.

## OBSERVATIO XXXV., ET VLTIMA

Pag. 248. num. 262. super verba num. 572.

Nimirum, quidquid Dei amore egeris, illud offer cum feruido amore, parique promptitudine sine vlla tepiditate, & timore; Opera enim, quæ vel remissa, vel mortua sunt, Sacrificium coram Deo acceptabile non sunt.

167 Opponitur, non posse id de actibus remissis verificari.

168 Respondeatur pag. 248. num. 262. hæc obseruatio suo loco ponenda omessa fuit, nè tamen vlla ineuacuata supersit, eam hic apponimus, non quia vim aliquam habeat, quia nulla qualificationis nota appareat, quam quod opera remissa, & quasi mortua Diuinæ Maiestati Sacrificium acceptabile esse dici nequeant, nullo adducto positivo fundamento; ultra quam quod eam propositionem in sensu legitimo Ven. Authoris sanam prorsus esse, probasse putamus class. 4. art. 2. §. vnico Positionis principalis, vt videre est, ab ulteriori itaque responsione supersedemus.

169 Haud tamen animaduertere excusam extra præsentem, hucusque ex tot moralibus, siue ad mores pertinentibus Doctrinis, quas tam in corpore Operis, quam super omnibus, & singulis Capitulis ex ore, & Magisterio Beatissimæ Virginis resumptas ad propriam, omniumque Fidelium instructionem Ven. Scriptrix propo- nit, apparere adnotatam; Id quod reuerâ concludit nedum nihil contra bonos mores, sed nihil non sanum in toto Opere contine- ri: *Non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere:* dixit summa veritas Christus Matth. 7. *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos:* Fructus Operis præsentis velut ex arbore Vitæ Sanctissimæ Dei Genitricis pullulantes Doctrinæ sunt morales ex omnibus, & singulis Capitulis resumptæ: Si igitur nulla hucusque, immo nec deinceps, vtì apparebit, inuenta est mi- nus habens, hoc est non sana, nulla contra bonos mores quidquam continens, totum opus arbor bona, sana utilissima estimanda est, atque ita quotquot eas Doctrinas pia affectione perlustrarunt, pu- rißimas, sanissimas, & catholicas esse, christianam perfectionem puriorem continentis non sine admiratione fatentur, idque quis- quis pio studio, non priuata passione eas perlegerit, haud fateri, admirarique nequibit.

# QVARTA CLASSIS

Sub Litera H.

## *De Observationibus in particulari super tertiam Partem denuò excitatis.*



Euenimus tandem ad enodandas omnes , & singulas propositiones ex tertia Parte extractas , quæ velut nota dignæ nobis diluendæ dignanter sunt communicatæ , ex omnibus , & singulis , quæ in quatuor Censurarum seriebus inueniuntur , collectæ , & ordinatæ .

### O B S E R V A T I O P R I M A .

Pag. 292. num. 2. super verba num. 3.

Quibus Mater de Agreda scribit , quod dum Christus ascendit in Cœlum , simul cum ipso Maria Mater eius corpore , & anima sublimata est , ibique per tres dies permanxit , & simul in Cœnaculo cum Apostolis , quibus transactis in Mundum descendit , quamque S. Ioan. descendenter intuitus in Terram concidit vi ei in Monte Thabor contigit .

2 Opponitur : Si Christo in Cœlum ascendentे minimè cum ipso Maria ascendit , tota hæc Reuelatio falsa est . Ita in vna serie assertus ascensus adnotatus apparet . Aliter in alia , quod nimirum modus iste loquendi conformis non sit SS. Patribus eò quod apud Postulatorem sol. 189. num. 55. ( Positionis principalis ) ijdem SS. Patres Christum in Cœlum ascendentem contemplantes interrogant , cur in Cœlum ascendens Matrem suam in Terris reliquerit ?

3 Respondetur pag. eadem num. 4. Si verum probabiliter , pièque credibile est Christum Dominum in Cœlum ascendentem Matrem suam secum portasse , verùm in eo sensu asserere id negari nequibit . Id igitur satis probasse putamus in supradicta Positione principali Clas. 2. Art. 3. §. vnico , vbi etiam ostendimus , quod et si SS. Patres eleuationem Mariæ Sanctissimæ cum Christo non affirment congruentias tamen ad id agnoscentes , & quasi fieri debuisse reclamantes , sola Fidelium necessitate , & utilitate , tunc Mariæ assistentiæ attenta acquieuerunt . Modus itaque loquendi , siue asserta eleuatio Mariæ cum Christo non difformis , sed conformis potius est SS. Patribus . Id equidem quod ipsi congruum fieri debuisse putabant Ven. Author factum suisse narrat : quoniam itaque id alijs falsum esse non

pro-

probatur exaduerso, vt̄ opus erat, sed gratis afferitur, iniuste nota falsitatis inuritur.

- 4 Si prætereà rationes congruentia, & æquitatis, exemplaque, quibus Dei Famula huius mysteriose eleuationis piam credibilitatem persuadet ad literam recitatæ in præsenti Responsione à num.6. pag.250. vsque ad num.12. perpendantur, nullus procul dubio dubitandi locus de concessione tanti fauoris Deiparæ, Viro pio, & prudenti relinquitur. Vnde concludimus cum ipsa Ven. Scriptrice num.1518. partis 2. cap. vltimo, vbi exprofesso factum describit, prænotatasque congruentias adducit: *Istæ rationes (inquit) congruentia sufficientes videntur, ut pietas Catholica lætitur, & consoletur ex notitia huius mysterij, omnemque scrupulum depellat in concedendo Beatissimæ Dei Genitrici Mariæ fauorem assertum, quem Deus concedere potuit, defactoque concessisse tot congruentia, exemplaque, quot numeris citatis, adducuntur, persuadent, atque nullum alias periculum siue inconueniens in Ecclesia sequitur, vt̄ sequi exaduerso nec probatur, nec probari valet.*
- 5 Sin autem dicatur, vt̄ in tertia serie num.48. dicitur, quod exinde sequeretur repugnare, B. Virginem videlicet in duplici loco corpore, & anima simul replicatam extitisse: Constat siquidem, quod in illo triduo, quo eleuata in Cœlum afferitur, in Cœnaculo cum Apostolis in Oratione Corpore, & Anima adstitisse, vt̄ legitur Actor.10. id quidem non repugnare, sed possibile esse ad sufficientiam probatum manet Clas. prima sæpedictæ Positionis Art.12. §.1. num.259., vt̄ videre est.
- 6 Ad id tandem, quod notatur, Sanctum nimirum Ioannem Evangelistam, dum Beatissimam Virginem de Cœlo post triduum descendenter intuitus est, in Terram concidisse, vt̄ in Monte Thabor, ipsem eandem Virginem sub metaphora aptissima Ciuitatis S. Hierusalem descendenter de Cœlo à Deo, hac, de qua in præsenti, occasione vidisse scriptum nobis reliquit in sua Apocalip.21. sive Ven. Author, ad literam ipsum exponit part.3. cap.2. num.15., quidque S. Ioan. tunc acciderit, dum primo Dilectissimam Matrem suam paratam sicut Sponsam ornatam Viro suo declarauerat num.6. verbis recensitis pag.254. num.15. Supposito itaque S.Ioan. Mysticam hanc Dei Ciuitatem nouam Hierusalem descendenter de Cœlo à Deo ornatam, habentem Dei claritatem vidisse, vt̄ ipse testatur, quid mirum, quod in Terram ceciderit, miroisque effectus persenserit similes quodammodo his, quos Christum transfiguratum persenserat, videns.

## O B S E R V A T I O II.

Pag.255. num.17. super verba num.18.

Vbi legitur, quod *Christus in corde suo Sanctissimæ Matris in Mundum de Cœlo descendantis nomina Apostolorum descripsit, ipsorumque eidem singulariter commendauit.*

- 7 Opponitur, quod de hoc magnum sit silentium in Scriptura, & Patribus.

- 8 Respondeatur pag. eadem numer. 18., quod si magnum desuper est silentium in Scriptura, & Patribus, nihil in eis continetur expressè contrarium, quod sufficit quin opus sit aliud respondere ex sacerdictis, ultraquamquod si Textus ille Apocalip. 12. vers. 24., & Murus huius Ciuitatis (Mariæ scilicet) habebat fundimenta duodecim, *& in eis nomina duodecim Apostolorum Agni*, obseruetur, non aliter melius saltim intelligi, saluarique posse ad literam assertam descriptionem nominam Apostolorum in fundamentis Mysticæ Ciuitatis Mariæ apertissimè constat, eamque proinde castigare, Sacro prefato Textui contradicit.

## O B S E R V A T I O III.

Pag. eadem num. 19. super verba num. 32.

Quibus duo asseruntur. Primum, quod *Maria Sanctissima*, dum à dextris Filij sui in Mundum rediit, spiritus eius nedum superiori modo fuit illustratus, sed ulterius in compensationem visionis claræ, *& fruitionis Dei*, qua se ipsam amore Ecclesiæ Militantis priuauit, alia Dei visio abstractiua continua data est ei, cui proinde respondebat alia etiam fructu flatus statui viæ accommodata, atque hac ratione superni status beatitudinis particeps erat specialiter. Secundum, quod Diuinissimus eius Filius sub speciebus Eucharisticis in eius pectore velut in Sacrario vero suo assidue perdurabat, tandem illis integris manentibus, quoad usque alias nouas sumeret, atque ipsum hoc modo contentum videbat speciali quadam Visione eum in finem concessa, ut eum præsentem sibi aduerteret, *& alloqueretur*, quin ad indigandam eius regalem præsentiam extra se abire necesse haberet.

- 9 Opponitur tantummodo: quomodo tanto tempore species Sacramentales integrè perseverare possent, & qualiter ad aliarum præsentiam corrumpentur? quidque tandem ex speciebus corruptis in corde Mariæ generaretur difficillimè intelligi valet.
- 10 Respondeatur pag. 256. num. 21. quoniam nullam super cæteris extractis verbis Ven. Dei Famulæ notam animaduertimus, sed dumtaxat super asserta permanentia Christi sub speciebus Sacramentalibus in Corde Mariæ velut in proprio Sacrario, quoad usque alias de nouo reciperet, quod nimis id difficilè intelligi valet, ut & quid ex speciebus consumptis generaretur, humandum discursum id non facilè capere posse secluso Miraculo, non verò attenta Diuina virtute ingenuè fatemur. Sed quid inde? Sat sit in mentem reuocare, quæ diximus, & adduximus de super respondentes Observationi XXV. Classis tertiae super verbis Ven. Authoris num. 1197. vbi dubijs propositis curiosis plenè fit satis.

## O B S E R V A T I O I V.

Pag. eadem num. 22. super verba num. 45.

Quibus narratur, quod Christus Dominus de Cælo descendens Matrem suam personaliter visitauit, ac per quinque horas hac Filij sui præsentia, delitijs, fauoribusque magnis potita est, quin ullus Apostolorum tunc temporis in Cœnaculo cum Maria existentium quidquam de illo beneficio agnouerit.

- 11 Respondetur pag. eadem num. 23., quod nulla desuper qualificationis nota fit, & meritò, si doctrina Authoris adnotacionum ad tertiam partem adnotata præfata verba obseruetur, vt Cenforem obseruasse putamus, sique maxima verba Ven. Scriptricis tam antecedentia, quam consequentia sub num. 44., & duobus sequentibus perpendantur, tandemque si euoluantur, quæ adduximus in Positione principali Clas. 2. Art. 9. §. vnico sub titulo: *De Christi Domini ad Virginem Matrem descensu Personalis*: Vbi multiplici ex causa huius beneficij possibilitatem, & facti piam, credibilitatem probauimus.

## O B S E R V A T I O V.

Pag. eadem num. 24. super verba num. 109.

Vbi dicitur, quod die octava Penthecostes in Domo Cœnaculi omnes Fideles, & Cathecumeni erant cum Apostolis congregati, isti, ut illos baptizarent, illi verò, ut baptizarentur, & quod quinque mille Baptismum receperunt.

- 12 Opponitur, quod ex Euangelio Lucæ, & Marci constat, quod Cœnaculum grande erat, sed non inde cogitare debemus, quod esset Aula quædam Regis Magni, sicut nec quod Domus, in qua erat Cœnaculum, Palatum alicuius Magni Principis, quandoquidem iuxta S. Ambrosium super Lucam 22. Dominus Domus Pauper, & ignobilis erat homo, & Persona ad summum fortunæ mediocris; quantò tamen magna erat Domus illa in phantasia Matris de Agreda, dum capax erat quinque millium Personarum, Lector consideret.
- 13 Respondetur pag. 257. num. 26. Si verè vtique quisque consideret verba Ven. Authoris, quibus modum, & ordinem, quo assertum factum narrat, non reuera phantasiæ eius tribuere nisi gratis, & iniustè audebit. Ea igitur ex num. 111. excerpta num. 27. recensentur huius tenoris; *Mox Apostolis Baptismus fuit inchoatus ordine admodum pulchro, & eximia omnium deuotione: ad hoc per unam Portam Cœnaculi intrabant Cathecumeni, & per aliam exhibant iam baptizati. Discipulis, aliisque Fidelibus interim assistebus, & hinc inde sine confusione eos dirigentibus, notetur hic ordo pulcherrimus descriptus, & seruatus in Baptismo tantæ hominum multitudini conferendo absque tumultu, & confusione; Baptizandi (inquit) per unam Portam intrabant, & per aliam egre-*

egrediebantur semota omni confusione. Hoc igitur stante ordine successivo, ignoramus certè, qua de causa suspicatur Ven. Scriptricem sua phantasia, Domum, in qua Cœnaculum, velut Aulam quan-dam Regiam existimasse, si Cœnaculum, vtì supponitur ex Luca & Marco, grande erat, Domus grandis pernecessè erat; quod duæ portæ essent Cœnaculo, per quarum vnam baptizandi ingrederentur, & per aliam baptizati exirent, semota omni confusione, sed potius magna omnium deuotione, necessariò inferri videtur, etiam dato quod Dominus Domus mediocris fors-tunæ foret: gratis igitur ne dicamus iniuste tribuitur phantasie Ven. nostræ Abbatisæ, quod exaduerso suspicatur.

## O B S E R V A T I O VI.

Pag. eadem num. 29. super verba num. 116.

Vbi B. Virgo introducitur alloquens, & instruens Matrem de Agreda, eique dicens; *hic tibi aperio arcanum quoddam, quod mihi accidit, dum Deum Eucharisticum prima vice de manu S. Petri suscepi: Tunc enim Deus amoris violentiae locum dedit, itaut eorū meum re ipsa fuerit apertum, vt ego exoptabam, vt Filius meus in Sacramento latens intraret, & velut Rex in legitimo Throno suo, & custodia ibi collocaretur, & repositus seruaretur.*

14 Opponitur sic: Non sanè Christus indigebat aperitionis Cordis Mariæ, & quod Cor ipsum in tantum spatium hincinde recederet, vt Christus ipsum ingrederetur.

15 Respondetur pag. 258. num. 31. quisquis dignum, vel aliqualem saltim conceptum de incendio Diuini Amoris, qui in Corde Matris dilectionis Mariæ iugiter ardebat, efformet, non vtique mirabitur, quod eius vehementia Cor ipsius verè, & realiter rumperetur, & aperiretur, dum maximè prima vice Sacratissimum Filium suum Eucharisticum sumpsit: qualis, & quantus fuerit amor eiusdem piissimæ Matris erga proximos ex verbis Famulæ suæ num. 115. ad vnguem recensisit num. 32., quodammodo, & si non plenè, vt potè impossibile colligi valet, exindeque pariter quanta erga ipsum Deum amoris vehementia effebuerit, dum præsertim ipsum Deum in Sacramento suscepit prima vice. Tùm quippè Dominus amoris vehementiae locum dedit, vt Cor eius reipsa fuerit apertum.

16 Porro si talis, ac tantus fuit amor Mariæ, vt eius vehementia pluries vitam naturalem eripuisse, nisi Diuina potentia miraculosè ipsam conseruasset, vtì ipsam verbis præcitatissimæ fatetur, dubitari nequit: *Est enim fortis ut mors dilectio, dura sicut Infernus æmulatio.* Si eo miraculo cessante, amoris violentia, quo languebat, vitam ei substulit, vtì Sacri Doctores communiter meditantur, quid mirum, quod amoris violentia eò tunc, quo Filium suum in Sacramento suscepit, deueniret, vt flagrantissimum Cor eius antonomasticè Matris pulchræ dilectionis dictæ rumperetur, & aperiretur? Si de S. Philippo Neri legitur in Ecclesia, pièque creditur, quod charitate vulneratus iugiter languagebat, tantoque Cor eius æstuabat ardore, vt cum intra limites

*suos contineri non posset, illius sinum confractis, atque elatis duabus Costulis mirabiliter Dominus ampliauerit.* Si de B. Bonaventura etiam legitur, quod cum vehementi vomitus causa in ultima infirmitate communicare nequiret, Costula pectoris, sive lateris vehementia amoris Seraphici, quo ardebat, fuit perforata, & aperta, per ipsamque aperturam hostia consecrata de manu Sacerdotis euolans Cor eius intravit? Si hæc (inquam) alijs quampluribus omissis leguntur, & narrantur, pièque creduntur, quid mirum, quod Cor Mariæ amore incomparabiliter supereminenti ardens eius violentia in casu prænarrato aperiretur? Id profecto fieri potuit, immo fieri opus fuit, quoniam intra limites suos contineri nequibat, sicque locus daretur per cordis aperturam, quo Dominus ipsum ingrederetur, atque in eo, velut in Regio suo Throno, repositus resideret, suoque tandem, & Matris amori satisfaceret, vt inquit Dei Famula.

## O B S E R V A T I O VII.

Pag. 259. num. 34. super verba num. 117.

Vbi instructionem B. Virginis prosecuta Mater de Agreda, & in specie quali seruore, ac deuotione accedere deberet ad Sacram Communionem, ei inter alia dixisse narrat: *Sed & grat mihi est quarta genuflexio, quam tu addidisti in reverentiam partis Carnis, & Sanguinis in Sacramento, vt eam de meis Visceribus Filius meus suscepit, meoque lacte vegetata, aucta que fuit.*

- 17 Opponitur, quod Mater de Agreda in Sacro Christi Corpore, partem quandam de substantia, & sanguine Virginis, quæ actu fit illius, agnoscit, ex quo quartam demissionem in eius specialem venerationem approbatam proponit. Quod ea quarta genuflexio grata Deo nequierit esse, additur in secunda serie, vt potè contra obseruantiam Ecclesiae, quæ in publica Christi adoratione indistinctè ad ipsum dirigit, vt ex Caietano Suarez à Postulatore adductis fol. 311. num. 65. obseruatur: Cum itaque in præsenti agatur de genuflexione quarta publicè exhibenda in receptione Sacræ Communionis, non directa ad Christum indistinctè, grata Deo nequit esse, vt forsitan foret in adoratione occulta, quæ iuxta ipsum Suarium potest esse præcisua; Fusiùs adhuc, & acriùs varijs liberis discursibus oppugnatam inuenimus in quarta serie num. 158., vsque ad 163. inclusiue doctrinam Ven. Authoris, vel potius B. Virginis adductam.
- 18 Respondetur pag. 260. num. 36. vsque ad 43. inclusiue, non quia id opus fuerit, quoniam nihil in præsenti adiungitur, quod responsione sincera, fusa satis exhibita Art. 6., & ultimo Positionis principalis §§. tribus euacuatum non sit. Ut veruntamen præicta doctrina sana, & invulnerabilis amplius appareat, simul que motiu exaduerso in æquiuoco laborare, sinistra violentave intelligentia litteræ, mentis, geminique sensus narrationis, Textus ad litteram reproducitur num. 37. huius tenoris: *Vt melius te disponas, ac præpares (ad Sacram Communionem) sit tibi in exemplum, id quod ego his in occasionibus peragebam, in quo specialiter*

volo me imiteris, sicut facis in trina Corporis humiliatione, sed & quarta, quam tu trinis addidisti in reverentiam partis Corporis, & Sanguinis, quæ est in Sacramento, vt de meis Visceribus Sanctissimus Filius meus eam suscepit, eaque meo lacte vegetata, & aucta fuit, grata mihi est. Constanſ esto in hac iugi deuotione, quoniam verum est in Corpore Sacro partem aliquam mei proprij sanguinis, & substantiæ esse, vt tu intellexisti.

- 19 Tota itaque æquiuocatio, sinistraque intelligentia stat in aduerbio illo *vti de meis Visceribus*, ac si eo B. Virgo expreſſerit, vel exprimere intenderit partem Corporis, & Sanguinis, quem ipsa ad efformationem Corporis in vtero suo velut materiam ministravit, sub eadem forma, nullaque facta transmutatione in Sacramento, esse quasi eadem pars substantiæ, quæ fuit Mariæ, sub eadem forma, & specie actu sit in Sacramento, simulque actu sit Mariæ, & in Maria: Non enim adverbium illud, *vti de meis Visceribus* aliud in rigore insinuat, quām identitatem substantialem partis illius substantiæ, & sanguinis, quam velut materiam ad Incarnationem ipsa ministravit, transmutatam tamen prius in Corpus organicum, posteriusque posterioritate naturæ in verum Corpus animatum per infusionem animæ rationalis in eodem tunc temporis creatæ, & vnitæ materie illi corporeæ.
- 20 Hic ergo est sensus genuinus adverbij illius: *Vti de meis Visceribus Sanctissimus meus Filius illum* (partem) *sumpsit, meoque lacte aucta fuit*, quin vel etiam leuiter appareat, quod pars illa substantiæ, quæ fuit Mariæ prius, idest informata eius anima, actu sit in Sacramento, nulla facta transmutatione in Carnem, & Sanguinem Christi de mente eiusdem Virginis, vel eius Famulæ verba instructoria narrantis: Non etenim afferitur, siue insinuatur, quod illa materia ex purissimis Sanguinibus in Vtero Virginis efformata, siue Spiritu Sancto cooperante præparata non transierit ad esse Corpus, & Sanguinem Christi per animæ creationem, & vniōnem cum materia illa corporea in signo posteriori naturæ cum Persona Verbi, vt ex ipsa Ven. Authore diximus, & explanauimus tum Art. vnic. class.4. Tūm respondentes primæ difficultati super partem secundam Operis.
- 21 Conſtituto literali genuino ſenu clausulae adnotatae, conſtanſ est veritas admonitionis, & aſſecurationis B. Virginis Famulæ ſuæ vi-delicit: *Conſtanſ esto in hac deuotione; quoniam verum est in Corpore Sacro partem substantiæ, & Sanguinis mei esse, vt tu intellexisti.* Adeoque conſtanſ est, vt ſine iniuria SS. Patruum, Doctorumque, quos Articulo præcitatō præterita Positionis adduximus, negari nequeat. Idque alijs breui hoc argumento Theologico confirmatur: Certissimum est de Fide Catholica Christum in Sacramento retinere, quidquid ipſe est extra Sacramentum, ſiue quidquid in Vtero Virginis factus homo ſumpsit: Sed ibi partem substantiæ eiusdem Virginis ſumpsit velut materiam, ex qua formatum est Corpus, eamque partem, ſiue materiam nunquam dimiſit; Ergo illam etiam in Sacramento retinet. Hæc conſequentia per demonstrationem Theologicam est subillata, ac proinde innegabilis, ſalua fide.

22 Ea igitur supposita veritate, quarta illa Corporalis demissio, quam trinæ ad exemplum, & monitionem Beatissimæ Virginis eius Famula superaddebat in reuerentiam specialem illius portionis substantię efformataꝝ, & suscepta de purissimis eiusdem Sanguinibus in Sacramento permanentis, velut laudabilis, grataque existimanda est Deo, & specialiter eidem Diuinæ Matri, cuius fuit, & est iuxta phrasim SS. Patrum: Qualiter autem venerari liceat portionem illam distinctè, & specialiter, qualemque reuerentiam, & adorationem Dei Famula quarta illa corporali submissione exhiberet, priusquam ad Sacram Communionem accederet, non quidem in publico, sed priuatè, & secretò in recessu suo, vbi se præparabat, fusè §.3. Art.3. præcitat̄ exposuimus, licetam fuisse, & esse, ac proindè gratam Deo, & Beatissimæ Virgini, & Sacris Doctoribus demonstrauimus. Quibus tandem exemplum aptissimum pag.262. num.43. adiunximus, quod de S. Ignatio suo Prothoparente Patres Salazarius in Cap.9. Prouerbiorum, & Velazquez de Eucharistia lib.1. adnotat.1. referunt, verbis sub eodem numero recensitis, quibus concluditur: *Eucharistia ita Corpus, & Sanguinem Mariæ quodammodo concludit, non quidem quæ acta Caro, aut Sanguis, sive pars eius sit, sed quæ fuit ex eius purissimis Sanguinibus in eius Vtero formata, nutrita, & lacte,* quod proculdubio sufficit ad priuatam præcisiuam reuerentiam, & adorationem exhibendam illi velut Reliquiæ specialissimæ eiusdem Beatissimæ Virginis. O vtinam hæc specialis deuotio omnium Fidelium cordibus infigeretur, & exequeretur, gratum proculdubio eidem Beatissimæ Deiparæ fieret obsequium.

## O B S E R V A T I O VIII.

Pag. 263. num. 44. super verba num. 211. usque ad 221.

Quibus enarrantur ea, quæ Maria Sanctissima ad efformationem Symboli gessit. Primo, quod ipsa Apostolos ad id persuasit. Secundo, quod ad hunc effectum orationibus, ieunijs, alijsque exercitijs operam dedit per dies quadraginta. Tertio, quod Christus Dominus personaliter descendit de Cœlis. Quartio, quod ipse terminos, verba, periodos Symboli efformandi eidem declarauit. Quinto, quod ipse etiam S. Petri Vicarij sui menti, aliorumque Apostolorum inspirauit, ac suggescit Symbolum fidei pro vñ Ecclesia vniuersatis efformare oporteret. Sexto, quod S. Petrus orationem habuit desuper ad Apostolos coram Matre Dei. Septimo, quod omnes Sacra Synaxi refecti sunt. Octavo, quod Spiritus Sanctus super eos descendit signis visibilibus, mirisque splendoribus, quibus Cenaculum, vbi erant congregati, fuit repletum. Nono, quod quilibet S. Petro initium dante mysterium vnum iuxta ordinem formaque ab eodem Spiritu Sancto dictitam declarauit. Decimo, quod inox, ac Symbolum fuit efformatum, omnia, & singula ab Apostolis prolata Spiritus Sanctus approbavit voce quadam in medio omnium audita, quæ dicebat: bene statuisti. Protinusque Regina Cœlestis gratijs simul cum Apostolis Altissimo repensis, cum ipsisque congratulata, quod promeriti fuissent Spiritus Sancti assi-

stantiam, ut velut eiusdem organa cum tanta securitate, ac certitudine ad Domini gloriam, & Ecclesiæ utilitatem essent prolocuti, atque, ut Fideles suo exemplo confirmaret, ipsamet prudentissima Magistra ad pedes S. Petri velut Vicarij sui Sanctissimi Filij prouoluta Sanctam Catholicam Fidem prout in Symbolo tunc primo confessa continetur, protestata, & confessa est.

23 Opponitur: hæc omnia ita nudè, siue nudata, vtì apparet, à Spiritu narrantis, absqueulla qualificationis nota in una Censura propoununtur extracta. In alia verò hoc dumtaxat adiicitur; si B. Virgo fidem Symboli adeo publicè protestata, non ore tantum, id enim fictio, siue apparentia fuisset, sed corde etiam id fecit profitendo, & confitendo omnia, & singula in illo declarata, confessa est consequenter, quod Christus natus est ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, mortuus, & sepultus est, quod est impossibile: habebat namque evidentiam, quod non conceperat ipsa opera, & concursu Viri; proprijs etiam oculis ipsum videbat Crucifixum, mortuum, & sepultum: *Fides* (vt inquit Apostolus) est sperandarum rerum substantia argumentum non apparentium, & S. Augustin. *Fides* est rerum, quæ non videntur. Id quoque S. Gregor. quæ apparent, iam fidem non habent, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

24 Respondetur pag. 264. à num. 46. usque ad 62. inclusiue: Beatissimam Dei Genitricem non ore tantum, sed corde sincerissimo Catholicæ Fidei efformatam tot, ac talibus circumstantijs, quales Ven. Author recenset, dignas quidem omni attentione, ac teneritudine, ad Pedes S. Petri velut Vicarij Sanctissimi sui Filij prouolutam protestationem, confessionemque tam suo, quam omnium Ecclesiæ Fidelium præsentium, ac futurorum nomine fecisse Author Ven. scribit verbis hisce dignis quidem, ut in omnium nostrum cordibus in solatium, & imitationem sculpanatur, quibus ipsa Beatissima Mater S. Petrum allocuta, manusque eius, & aliorum Apostolorum deosculata Fidem prima in Ecclesia Sancta professa fuit, *Domine mi te Christi Filij mei Vicarium agnoscō*, & ego vīlis vermiculus nomine meo in primis, & deinde etiam omnium Fidelium Ecclesiæ protestor, confiteor in manibus tuis, quidquid vos pro infallilibus, ac diuinis veritatibus Catholicæ Fidei pronunciatis, atque in eisdem Altissimum, à quo procedunt, laudo, ac benedico.

25 Hanc fidei protestationem nedum tunc primò, dum Symbolum efformatum fuit, modo dicto fecit, sed plures deinceps quotidie repetit, vtì ipsa Diuina Magistra Famulam suam instruens ait verbis hisce num. 219.: *Posteaquam Apostoli Symbolum ordinaverunt, noueris, quod ego plures quotidie ipsum genuflexa, profundavererentia repetebam: & dum proferre deueniebam Articulum illum: NATVS EST EX MARIA VIRGINE in terram corrueram* tali humilitate, gratitudine, ac laude Altissimi, quem nullus Creatura comprehendere valet. *In aliis istis cunctis mortales praesentes habebam*, eos pro illis exercens, irreuerentiamque supplens, quam tam veneranda verba ipsos prolatores præuidebam.

26 Quomodo tamen hæc protestatio, siue confessio in B. Virgine cum evidencia, quam habebat tam de eo Articulo, quam de alijs fal-

- faluari possit, impossibile exaduerso reputatur. Id autem ipsa Ven. Author mirè soluit, ac declarat part. i. cap. 6. vbi fidei virtutem, & exercitium tām in communi, quām in particulari Beatisssimæ Virginis, videlicet viuissimis coloribus, ac tenerissimis verbis describit num. 490. pag. 263. num. 50. à nobis productis, quibus dubium, difficultatemque exaduerso propositam, neruosiū tamen ipsa proponit, vt videre est.
- 27 Sed ecce adæquatam solutionem quam ipsamet num. 491. exhibet verbis ad literam recensitis pag. 266. num. 53. huius tenoris: *Dubium hoc nedum Mariae Sanctissimæ fidei non obest, sed eam potius extollit, magnificat plurimum. Voluit siquidem Dominus Matrem suam in priuilegio huius virtutis Fidei (idem est de Spe) quod omnem communem ordinem aliorum virorum transfiliret, & præstantissimus intellectus, seu Artifex, & Mater harum magnarum virtutum euaderet, & illustraretur modò perfectissimis Fidei, & Spei actibus, modo visione, & possessione, & si transeunter finis, & obiecti, quod credebat, aut sperabat, ut in Archetypo suo agnosceret, ac degustaret virtutes, quas velut Magistra credentium, virtute fidei credendas erat edocenda: hæc profecto duo unire in Maria Sanctissima facillimum erat Diuinæ Potentia, eoque supposito velut debitum erat purissimæ Matri, cui priuilegium nullum quantumvis grande dedecet, aut deficere debebat.*
- 28 Verum quidem est (prosequitur num. 492.) cum claritate obiecti, quod cognoscimus componi non posse obscuritatem Fidei, qua creditur, quod non videmus, nec Spem cum possessione, nec Mariam Sanctissimam, dum evidentibus hisce Visionibus potiebatur, & speciebus, cum evidētia quamvis abstractiua dumtaxat manifestiibus obiecta vtebatur, actus Fidei exercebat, siue habitu eius vtebatur, sed solum habitu scientiæ infusa; exinde tamen non erant otiosi habitus utriusque Virtutis Theologicæ Fidei, & Spei; siquidem, ut iisdem Virgo vteretur, Deus concursum suspendebat, seu vsum specierum evidentium detinebat: Eaque propter cessante actuali scientia, Fides obscura operabatur, in cuius statu perfectissimæ subinde remanebat suprema Regina, Deo sese una cum notitijs evidentibus subducente, prout in Celsissimo Incarnationis Mysterio contigit.
- 29 Sola hæc ultima verba attentè perpensa nedum difficultatem propositam euacuant pñnitus, sed & motuum præstant admirationis cunctis Theologis quantumvis doctis, ac versatis: clariùs veruntamen solutio patebit, admiratoque accrescit, si verba eiusdem Ven. Scriptricis num. 493. producta pag. 268. num. 56. considerentur, vt considerare ea enixè exoramus, vtpotè quibus rationes, & exempla eadem Dei Famula adducit suæ doctrinæ persuasiua, quibus non minus apta subiungit num. 494. pag. 269. num. 59. recensita, dum nimirum Puerum Iesum Hyerosolimis Maria amisit, non enim tunc, inquit, vsum habuit scientiæ infusa, qua vbi erat, agnosceret, neque etiam claræ notitiæ diuinitatis speciebus vsa tum fuit; Idem quoque accedit eidem Cruci adstanti, vbi Deus suspendit visionem, & operationes, quæ dolorem in anima Sanctissimæ Matris substulissent, tunc enim expediens erat locum dare dolori, solumque Fidem, & Spem ope-

operari, gaudiumque, quod ex quacumque visione, aut notitia, et si abstractiva diuinitatis hauiisset, dolorem naturaliter imperdisset, nisi Deus nouum Miraculum aliud efficeret, poenam, & gaudium simul vniendo: hoc autem prodigium accidere congruum tunc non erat, quandoquidem in Regina patiente meritum, & imitatio Sanctissimi sui Filij gratia, & excellentia Matris optimè necterentur. Idem tandem euénit in resurrectione nati sui vniici credendo, & sperando, vt ideo Fides Ecclesie in sola ipsa permanserit reducta ad Magistrum, & Fundatricem suam.

30 Placuit adeo fusam doctrinam Ven. Scriptricis producere, quæ, et si non adeo copiosa erat necessaria, cuilibet Theologo eam ponderanti proculdubio admiratione digna erit, ut potè non tantum difficultatem propositam, sed & alias grauissimas Theologicas tangens mirè dilucidans, & euacuans: Eadgitur verba, sicut, & alia quædam, quæ de excellentia, & exercitio Fidei Beatissimæ Virginis numeris sequentibus usque ad 500. inclusuè perpendenda submittimus, doctrinam necnon, quam desuper eadem Dei Genitrix Famulæ suæ pro ampliori sui instruzione, & solatio ministrauit ad literam recitatam pag. 270. num. 60.

31 Ex quibus tandem concludimus notitiam evidentem, quam Beatissima Virgo habuit de Mysterijs, quæ in Symbolo fuerunt expressa, obstante non potuisse, quominus ea notitia cessante, siue suspensa eorum Fidem publicè protestaretur, essetque prima, atque suo exemplo fideles cunctos Ecclesiae in Fidei confessione instrueret, & confirmaret; sive diceretur, ut dicitur, & est reuera in ore SS. Patrum, Doctorum, ac Theologorum: *Mater omnium credentium: Magistra Fidei, eiusque Vexillifera*, quin vlli contrarium occurrere possit, nec sine nota iniuria Fidei B. Virginis protestationem iuxta narrationem eius Famulæ negare audeat. Ipsa potro non obstante evidencia, quam habuit tam Dei attestantis, quam rei attestata super ea, quæ Angelo reuelante sibi à Domino dicta sunt, ea Fide Diuina credidisse, de Fide certum est iuxta oraculum S. Elisabeth Lucæ 1. vers. 45. *Beata es, quoniam credidisti, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

32 Item Christi Domini Apostolos, & Discipulos Eisdem Diuinam habuisse, eamque publicè confessos fuisse, & prædicasse de his, quæ viderant Magistrum egisse, in eoque peracta fuisse, quis negare audebit? S. Ioannes Epist. 1. cap. 1. hæc scribit: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspexit manus nostra contrectauerunt de verbo vita, quod vita nostra manifestata est nobis, ut vidimus, quod testamur, quod annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, quod apparuit nobis . . . . . quod vidimus, quod audiuimus, annunciamus vobis . . . . . quod hæc est annuntiatio, quam audiuimus ab eo, quod annunciamus vobis*, quibus in verbis evidentiam tot motius innixam de auditu, de visu proprijs oculis, de manuum contrectatione velut Testis in transfiguratione Domini asseuerat. Poterit ne dici, quod dum postmodum tantum Mysterium S. Ioannes testatus est, annunciauit, & prædicauit, Eisdem non habuit? Nun S. Paulus pariter post claram visionem, evidentem, quam

raptus in tertium Cœlum habuit, siue intuitiuam Diuinitatis, vt pia tenet quamplurim Sententia, siue abstractiuam per species claras, & euidentes, vt communis ad minus tenet, quibus mediantibus Arcana Dei vidit, Fidem ea transacta non habuit, siue ea quæ vidit, non credit? Iudicent hi præcipue, ad quos spectat. Nos autem nescire ingenuè fatemur, cur, & qualiter confessio Fidei de veritatibus in Symbolo contentis, ac definitis Magistræ Fidei velut impossibilis à Censore denegetur? Nec Textus Pauli, sicut nec authoritates SS. Augustini, & Gregorij Censoris Iudicio fauent: Solùm enim concludunt non posse simul Fidem obscuram cum euidentia obiecti eiusdem stare, quod vt certum ipsa Ven. Scriptrix expressis verbis supracitatis statuit, optimè verò successiuè stare posse, à nullo Theologo negari valet.

## O B S E R V A T I O I X.

Pag.271. num.63. super verba num.222.

Nimirum mox, ac Symbolum fuit efformatum Beatissima Virgo innumerabilia eiusdem exemplaria manu propria, Angelis vero eidem assistentibus, & adiuuantibus, atque munus Secretariorum gerentibus, fecit, quod citius expedita ad Discipulos deuenirent, eaque ad singulos, qui erant dispersi, inclusa in quadam Epistola misit.

- 33 Opponitur; quod sola hyperbolica illa locutio de innumerabilibus exemplaribus Symboli à Virgine factis sufficiat ad existimandam suspectam hanc reuelationem: Cùm constet Discipulos non plus quàm duos supra septuaginta fuisse; Incredibile deinde fit ex eo, quod tot copias manu propria ipsa fecerit, quandoquidem nec certum sit, quod Maria ullam Epistolam scripserit manu propria, estque non leuis difficultas circa illam Messanensem: quis vterius credere poterit, quod ex tot copijs, & Epistolis aliqua saltim non mansisset per aliquod tempus, siue ab aliquo Authore Posteriorum memoria tradita? Tandem si B. Virgo manu propria innumerabiles illas copias scripsisse asseritur, quomodo Angelis mediantibus velut Secretarijs? Contradiccio est manifesta, ac per consequens falsum vtrumque.
- 34 Respondetur pag.271.num.65. Symbolum Fidei scripto exaratum, fuisse, et si non desint id negantes, probabilissime alij defendant, idque ex facto Decreti Apostolici in Concilio Hyerosolymitano super controuersia de Circumcisione, ac Lege Mosaica à Gentilibus seruanda nouiter baptizatis colligitur; constat siquidem Actor.15. hoc Decretum, in quo pars negatiua fuit decisa, scripto exaratum ad Christianos primos Antiochiae fuisse transmissum: quod si Apostoli opportunum putarunt, quod hæc materia particularis scriberetur, scriptaque nota fieret Antiochenis, quid ni materia tanti momenti, ne dicamus maioris ponderis, Symboli videlicet, siue Fidei Orthodoxæ iure meritò scriberetur.
- 35 Quamplures præterea copias ob pergrandem multitudinem, siue numerum ex communi modo loquendi dictas innumerabiles factas fuisse congruentia pia suadet; Adeò enim iam tunc numerus Fidelium excreuerat, perquæ varias Ciuitates, imò, & Prouincias cre-

credentes dispersi erant, ut ex Actor. 11. colligitur, ut innumerabiles præter Apostolos dici potuerunt; Cum igitur alias necessè esset, ut Articuli Fidei credendi uniformiter quamcuius cunctis innotescerent, congruentissimum quoque, pièque credibile fit, quam plurima Symboli exemplaria, Epistolasque è Hyerosolymis datas, & transmissas fuisse: Ea enim, quæ ex bona coniectura vniunt, vera esse dicuntur. Ex leg. finali de probat.

- 36 Hinc suspicio de falsitate narrationis concepta ex hiperbolica illa locutione; *innumerabiles copias* eiusque insubstantia, ex eo quod duo supra septuaginta tantum Discipuli erant, satis euanevit: Non enim ad eos dumtaxat, sed ad alios credentes, qui dispersi erant per Regiones Iudeæ, & Samariae, per aliasque Provincias Symbolum fuisse transmissum, vel quod verius est, ad eosdem Discipulos, ut singulis credentibus distribuerentur, eadem ratio congruentiae persuadet, saltimue falso id esse non conuincitur; quod autem ex copiæ manu propria B. Virginis cunctæ fuerint factæ, planè non constare fatemur certitudine, cui non liceat contradicere, ut nec Epistolam eiusdem Virginis ad Messanenses, aliasue scriptas fuisse, constat tamen ex eorum Messanensium traditione, sicuti & Florentinorum aliam, quam velut talem pia deuotione venerantur; Nec id incredibile nisi gratis putari debet, ex eo quod nulla ex tot copijs, & Epistolis appareat. Non enim in primis earum memoria ita fuit deleta, ut non de his memoriam faciant ultra Flauium Dextrum ann. 438. S. Bernard. super psalm. Qui habitat, multique alij, quos citat. Carthagena tom. 3. Nouatus tom. 2. cap. 1. quest. 25., & Canisius lib. 5. de B. Virgine cap. 1. cum quo dicere non dubitamus; Tum *Symboli copias*, quam Litteras missivas esse veluti Marianæ Charitatis Symbola, quibus talem, ac tantam Matrem de multorum absentium, longèque diffitorum salute non parum solicitam esse re ipsa, declarat.

- 37 Ad contradictionem tandem apprehensam ex Ven. Authoris verbis, ipsa planè satisfaciunt: Non etenim ait, quod omnia, & singula exemplaria Symboli, atque Epistolas missivas B. Virgo manu propria scripsit, sed mediantibus Angelis ipsam desuper adiuvantibus, opemve ferentibus, ut citius expeditè ad omnes Fideles deuenirent, resque tanti momenti cunctis innotesceret: prætereà ut copiæ, & Epistolæ à B. Virgine dicantur, non requiritur in rigore, quod eius manu ex integro fuerint scriptæ, sed sat est, quod de eiusdem mandato ab Angelis quamplures exaratae, ab eademque manu propria subscriptæ fuerint. Tandem continet ne ea narratio quidquam contra Fidem, vel bonos mores, vel doctrinam communem Ecclesiæ? Nec probatur, nec probari valet; impertinens ergo est, quidquid exaduerso arguitur.

## OBSEERVATIO X.

Videlicet, quadam die B. Virgo euocata, euectaque fuit Corpore, & Anima ad Thronum Sanctissimæ Trinitatis, & Consistorium, in quo de reparatione Ecclesiæ persecutione agitata agebatur, ingredi

ingredi vīpotē sapientissima digna inuenta est, & cum ibi esset.  
Tres Diuinæ Personæ nobeant quidquam executioni mandandum  
jore absque Consilio, Sapientia, & quasi beneplacito eiusdem  
Reginæ.

38 Opponitur præcipue ab Authore quartæ Censuræ primò stultam, prorsus imaginationem esse, non quod Beata Virgo Corpore, & Anima in Cœlum enecta afferatur, sed quod in Consistorium Beatissimæ Trinitatis fuerit ingressa, in audientiamque secretam admissa, ac si Diuinæ Personæ sedem materialem habeant, in audientiamque admitant, in qua qui corporaliter non adest, negotia conferre non valet, ut apud Reges Terræ euenit. Afferere deinde admissam fuisse in Consilium, sive Consultationem cum Diuinis Personis Sacrae Scripturæ aduersatur, omnem Creaturam à Diuinis Consilijs excludentis: Jerem. 23. *Quis enim adfuit in Consilio Dei?* Ad Roman. 11. *Quis Consiliarius eius fuit?* Item cum Deus summa, & infinita sit sapientia, nec dubius, nec indigens esse possit alterius Consilijs, tandem quidquid Deus facere in tempore voluit ab eterno fuit statutum inevitabiliter etiam quoad modum, & omnes circumstantias exequendum, quando nulla aderat Creatura.

39 Sed quoniam (prosequitur idem Censor) Mater de Agreda diceret posset Deum B. Virginem in Consilium euocasse non indigentia, sed honoris causa, subiango (inquit ipse) inde nullum honorem ei prouenturum, sed potius confusionem, ob motiuia, sive discursus liberè prorsus, ac futiles pag. 273, num. 70. recensitos, ut videre est; arguit præterea: Velle scire à Matre de Agreda, vtrum Personæ Diuinæ modum infallibilem haberent obtinendi Virginis beneplacitū, etiam admisso, quod illius indigerent ad exequendum id, quod facere decreuerant? aut non? Si primum proculdubio exequi poterant liberè, quidquid facere conceperant mente, mediante beneplacito Mariæ: Si secundum; Deus abs dubio cogebatur suspendere, vel annullare decretum, quo ab aeterno facere statuerat mediante huiusmodi beneplacito, casu, quo ipsum Maria non preberet; sine quo Mater de Agreda afferit, nihil exequendum foret; Ipsaque B. Virgo impediret Diuinam voluntatem etiam obsolutam, & efficacem contra S. Scripturam. Esther 13. *non est qui suæ possit resistere voluntati.*

40 Respondetur pag. 274. à num. 72. viisque ad 80. modoque prætermisso censurandi modo inaudito, qui apparet, prætermisso necnon curiosis conflictis investigationibus aliorum Iudicio poaderandis, modo inquam ad Ea, quæ adnotantur, respondetur. Primò velut stulta imaginatio censemur, quod B. Virgo in Concistorium SS. Trinitatis admissa, & ingressa afferatur, ac si Diuinæ Personæ sedem materialem, sive Gabinetto, [ut in Censura Italice dicitur] habeant, atque in audientiam secretam, in qua qui corporaliter non adest, negotia conferre non valet, ut apud Reges terræ euenit. At quis non videt huiusmodi modum arguendi potius in stultitiam, ne aliter propter modestiam loquamur, verti posse, ac deberi, dum negari videtur, quod Sacrae Scripturæ sapè sapius thronum nempè, Consilium, Consistorium, sedesque in Cœlo,

Consultationesque habitas apertissimè describunt, & commemo-  
rant.

- 41 Secundò, & principaliter opponitur contra clausulam illam: Per-  
sonæ Diuinæ nolebant quidquam fore exequendum absque Consilio,  
Sapientia, & quasi beneplacito Mariæ Sanctissimæ. Si tamen ver-  
ba Ven. Authoris non inconcina, siue circumisa, sed transcri-  
pta ut iacent, eorumque genuinus, & inalteratus sensus perci-  
piantur, nihil aliud exprimere, quam quod SS. Patres, & quidem  
consonè ad Sacram Scripturam affirmant, palam apparebit, ut  
demonstratum est etiam positione principali sacerdotia art. 5. Cla-  
sis 4. q. 2. num. 81., & sequenti huic eidem oppositioni responden-  
do. Verba igitur Authoris num. 315., & sequenti recensita pag.  
277. reproducuntur, præmiserat ipsa Ven. Scriptrix numeris præ-  
cedentibus, qualiter B. Virgo conscientia de noua persecutione,  
quam Lucifer parabat contra Ecclesiæ, nuellosq; eius Filios, cha-  
ritate vulnerata, zeloque obarmata, ut impediret, anxia suspi-  
ria, sive desuper petitiones coram Throno Sanctissimæ Tri-  
nitatis exhibebat.
- 42 Post hanc (prosecuta Dei Famula) verba præcitata num. 315. habet.  
videlicet: *Vbi denuo fuit interrogata, quid pro se peteret, quid pro Ecclesia, pro Apostolis, & Discipulis Christi Domini peroptaret?* Ipsa-  
que prudentissima Mater feruida sua desideria, gloriæ in primis, &  
exaltationis nominis Altissimi, deinde subsidij, & solatii Fidelium  
in illa, quam eiusdem Domini Inimici machinabantur, persecutio-  
ne, iterum aperuit, & licet hæc omnia infinitæ Diuinæ Sapientiæ  
notissima essent, Iussa nichilominus fuit magna Domina proponere,  
ut appobarentur, in hisque Dominus ipse sibi complaceret, atque  
eandem capacem amplius denuo circa præelectionis Prædestinato-  
rum Mysteria fecit.
- 43 Porro [prosequitur num. 316.] Ut me explicem, ac declarem, quæ  
desuper hoc Sacramento intellexi. dico (notentur hæc aptissima  
quidem, & sanissima) quod quia voluntas Mariæ Sanctissimæ rectissi-  
ma, sanctissima erat in omnibus, & per omnia Sanctissimæ Trinitati  
summopere conformis, grata, & accepta, videtur iuxta nostrum  
modo concipiendi, quod Deus quid diuersum a voluntate purissimæ  
Dominæ, siue eidem aduersum velle nequibat, cuius in sanctitatem  
ineffabilem propensus erat, & cuius dilectissimæ Sponsæ crinibus,  
& oculis quasi vulneratus erat. Deinde quia Pater Cœlestis velut  
filiam, Filius velut Matrem, Spiritus Sanctus velut sponsam habe-  
bat, atque tres Diuinæ Personæ omnes Ecclesiam illi concrederant,  
Viri sui Corde in ea confidente, ob hos, aliosque titulos nihil tres Di-  
uinæ Personæ fore executioni mandandum volebant absque consilio,  
Sapientia, & quasi beneplacito totius uniuersi Reginæ.
- 44 Prosecuta deinde num. 316. ait; ut ipsius Altissimi, & Mariæ San-  
ctissimæ voluntas in eiusmodi decretis una esset, necesse fuit, ut ma-  
gna Domina nouam acciperet participationem Diuinæ Sapientiæ, &  
prudentiæ profundissimorum Consiliorum, qua res omnes pondere,  
& mensura, earum fines, & media summa æquitate, & conuen-  
tientia disponit, ad idque noua lux clarissima Mariæ fuit elargita,  
qua cognosceret omnia, quæ diuina Sapientia, & potentia in Eccle-  
sia militante agere, ac disponere expediens agnoscet.

- 45 Hucusque Dei Famula, quæ si pia attentione meditentur, credibilis nimis fit, immo & innegabilis Doctrina praædicta, & adnotata, eò & maximè, si verba illa restrictiua, ratioque, quam assignat obseruentur: Iuxta nostrum modum concipiendi videtur, quod Deus quid diuersum a voluntate purissimæ Domini, siue eidem aduersum, vel le nequibat, ratioque est: quia nimirum voluntas Mariæ Sanctissimæ rectissima, sanctissima erat in omnibus, & per omnia Sanctissimæ Trinitati summopere conformis, grata, & accepta, atque ut una esset in his omnibus, quæ tres diuinæ Personæ agere, ac disponere volebant, nouam prius lucem clarissimam eidem conferre ubi placuit, qua cognosceret Diuinæ Sapientiæ, & Prudentiæ profundissimæ Consilia circa electionem Prædestinatorum, cæteraque cuncta, quæ in Ecclesia Militanti agere, siue disponere expediens erat.
- 46 His itaque suppositis negari non posse videtur Deum hac, de qua Dei Famula loquitur, occasione noluisse quidquam in executione ponendum absque consilio, Sapientia, & quasi beneplacito Mariæ Sanctissimæ iuxta modum nostrum concipiendi. Id quod exemplis clarescit, tum ex facto Incarnationis, quam etsi Deus ab æterno decreuit decreto intentiuo, non tamen exequi voluit, nisi expectatio, & præstito consensu, & quasi beneplacito Mariæ, quia sic exequendam in tempore decreuerat ab æterno. Tum quamuis Deus ab æterno electos ad gloriam prædestinauerit ante merita præuisa absolute futura decreto intentiuo iuxta sanam non vulgarem Theologiam, in executione tamen non illam confert, nisi dependenter a libera voluntate, consensu, & meritis Electorum. Tres ergo Diuinæ Personæ nihil executioni mandandum statuisse iuxta locutionem Ven. Nostræ Authoris absque Consilio, Sapientia, & quasi beneplacito Mariæ Sanctissimæ, aliud non est in re, quam nullum beneficium in executione, seu de facto Ecclesiæ, & Fidelibus conferre statuisse, nisi dependenter a Consilio, notitia, & quasi beneplacito Sanctissimæ Matris iuxta nostrum concipiendi modum, quo nihil frequentius apud Sacros Doctores inter quos S. Bernardus asserens, ac dicens, *Nihil nos habere Deum voluisse, quod non transeat per manus Mariæ*, & hoc ideo, quia voluntas Mariæ rectissima, sanctissima erat, ut animaduertit Dei Famula, *in omnibus*, & per omnia Sanctissimæ Trinitatis voluntati conformis, grata, & accepta: atque, ut una sic esset Dei, & Mariæ voluntas, nouam ei clarissimam lucem prius concessit, qua omnia, quæ Diuina Sapientia, & potentia in Ecclesia disponere prætendebat, ac prætendit, agnosceret.

## O B S E R V A T I O X I.

Pag. 277. num. 81. super verba num. 192.

Ibi plura de S. Stephano narrantur: Sed quoniam nulla desuper oppositio, siue qualificationis nota exaduerso apparet, quam sola narrationis recitatio, & si intercisa, siue circuncisa, ut videatur est, respondere non tenemur.

## O B S E R V A T I O X I I .

Pag. 279. num. 83. super verba num. 269.

Quibus refertur, quæ nam fuerit mens S. Pauli Apostoli, quisue animus internus secum mente euoluentis, quonam ipse in Corde Mariæ loco esset? quidnam de illo ipsa putaret, dum se tam infestum eidem, tamque impetuosum Filij sui Persecutorem, Discipulorum eius, & Ecclesiæ euersorem paulòante vidisset, quod intelligens Pia Mater, ut dicitur num. sequenti, Paulo per Angelum dicere fecit, verba tenerissima sanè recensita num. 84., ipsumque moneret de paratis illi à diabolo insidijs, animaret, & confortaret, spemque indubiam haberet, diuinos fauores nunquam ei defuturos in suis tribulationibus.

- 47 Super hęc pariter aliaque, quæ desuper Ven. Author narrat, nulla adiicitur oppositio, sed sola narrationis circuncisæ etiam recipatio: quod si tamen eius, vt iacent, verba quisque obseruet, miros effectus, & affectus S. Pauli similes teneritudinis, & compunctionis haud experiri nequivuit.

## O B S E R V A T I O X I I I .

Pag. 280. num. 87. super verba num. 347., &amp; sequen.

Quod nimirum B. Virgo è Hyerusalem per manus Angelorum Cæsaraugustam in Hispania fuit asportata ipsis Angelis eorum. Reginæ laudes decantantibus, alijs quidem Salve Regina, alijs salve Sancta Parens, alijs: Ave Maris, & alijs: Regina Cæli. Ipsaque respondebat dicens. Sanctus, Sanctus, Sanctus. Præterea quod ipsa S. Iacobo Apostolo ibidem tunc prædicanti voluntatem Dei intimauit, qualiter sibi sub eiusdem Virginis nomine Templum erigeretur, statua marmorea collocanda, quam Angeli portabant, Templumque fuit ereatum, & consecratum ab eodem Apostolo, & hęc fuit prima Templi dedicatio, quæ post completam Redemptionem in Mundo fuit celebrata, ipsa Deipara in carne mortali viuente, appellaturque Sanctuarium Dominae del Pillar Cæsaraugustæ.

- 48 Opponitur contra laudes assertas, & decantatas ab Angelis, in hunc modum: Consideret quisque, vtrum sit possibile, quod Angelii preces nondum tunc in Ecclesia introductas decantauerint. Deinde quod Deus ordinasset, vt primum Templum sub nominis Mariæ invocatione adhuc viuentis erigeretur. Ita arguitur in prima Censura. In quarta vero additur, quod verba illa salutatoria. Ave Maria sunt Sedulij. Antiphona: Salve Regina iuxta aliquos fuit composita a S. Ioanne Damasco, iuxta alios a S. Bernardo: Dicere ergo quod Angeli eas laudes decantarunt mera fictio est, & somnium Matris de Agreda; si dicatur in eius fauorem Angelos eas didicisse in diuina Essentia, non tenet. Beati namque non cognoscunt in Essentia Diuina futura contingentia, vt erat illarum Laudum compositio. Sin autem dicatur, quod ab ipsis Angelis fue-

fuerunt ordinatae, & ab Aucthoribus præcitatibus postmodum recitatae, minus tenet: Nam verba illa Antiphona *Salve Regina* ad te *Clamamus exules Filij Euæ*; *ad te suspiramus Angelis nequaquam*, competere valent, sicuti nec illa *Aue Maria*, ora pro nobis Peccatoribus; debuisse itaque Mater de Agreda dicere, quod Angeli quidquam omisserunt, vel mutarunt, aliter falsa opinio de Angelis apud simplices lectores oriri posset.

- 49 Respondetur pag. 281. num. 89.: Et quidem assertam Templi erectionem ex Dei voluntate, sub inuocatione nominis Mariæ adhuc in Carne viuentis, nedum possibilem, sed de facto executam ex responsione exhibita desuper Classe 3. §. vnico Positionis principali satis abundè constat; ad id autem, quod objeicitur, nimirum, meram fictionem, siue somnium Matris de Agreda asserere Angelos precitatas laudes Mariæ decantasse, facile adeo nimiq; facilitati, ut potè inanibus, insuffisentibus fundamentis iuxta respondetur: dicendo in primis, quod salutatio illa *Aue Maria* ab Angelo fuit procul dubio prolata, priusquam in Ecclesia introducta; Sicuti etiam *Gloria in Excelsis Deo* prius ab Angelis nato Domino decantata; Præterea dulcissimum nomen Iesu prius ab Angelo fuit inuocatum, quām in utero Virginis conciperetur: Nequit ergo dubitari, & minus velut fictio, siue somnium nisi gratis putari, sed potius ut credibile valde existimari, quod S. Mater Ecclesia in omnibus semper a Spiritu Sancto directa laudes præfatas ab Angelis decantatas in usum receperit clausulis nonnullis additis à pijs Authoribus acceptis.
- 50 Ad motiuas, quæ exaduerso adducuntur [prætermisso inusitato modo, qui apparet, nimirum, si dicatur hoc, si dicatur illud] ad primum videlicet quod Angelis non didicerint in Essentia Diuina præfatas laudes, quoniam Beati non vident in ea futura contingentia, vt erat illarum compositio, respondetur id sine graui nota prætermitti non posse; Si maximè Beatis absolutè negetur. Ad secundum quod videlicet verba illa: *Ad te clamamus exules Filij Euæ*, sicuti & illa: *Ora pro nobis peccatoribus*: Angelis non competere, textus Ven. Authoris facit satis; Constat siquidem clarissimè Angelos solùm decantasse clausulas initiales: *Salve Regina*, *Aue Maria* &c. quin ad alias Author progrederiatur, nulla de illis facta mentione, sed etiam gratis admisso Angelos integras decantasse asseratur, respondetur, eas non nomine proprio, sed nostro, ad nostramque instructionem in salutanda B. Virgine protulisse; Id quod aptissimo ad rem exemplo declaratur. Porrò Christus Dominus integrum Orationem *Pater noster qui es in Cœlis* ore proprio pronunciauit, ac proinde clausulas illas: *dimitte nobis debita nostra*, *et ne nos inducas in temptationem*, quas sanè, utpote eidem competere non valentes, non nomine proprio, sed nostro, ad nostramque instructionem ad Patrem interpellandum pronunciasse dici debet.

## OBSERVATIO XIV.

Pag. 282. num. 93. super verba num. 366.

Quibus dicitur, quod Maria Sanctissima loca Sancta in Hyerusalem habitabiliens S. Ioannis visitauit, Angelisque mandauit, ut custodirent per Secula futura loca illa humana Redemptionis, habita deinde eiusdem S. Ioannis benedictione, ut nauim versus Ephesum, cum ipso ascenderet Fideles Hyerosolymitani currus, quos habebant, aliaque necessaria offerebant, Angelorumque multitudine in forma humana stipata portum cum Ioanne adiuit.

51 Opponitur contra ultimam clausulam dicendo: Consideret quisque, & legat, si Fideles illius temporis, qui nimis egeni erant, currus habere possent, quos offerrent?

52 Respondetur pag. eadem num. 95., quisquis huiusmodi oppositionem legat, & consideret, haud procul dubio admirari nequibit audiens negari nedum factum narratum, verum & possibilitatem, eo vnicè fundamento aprehenso, quod Fideles tunc temporis currus non haberent, quos offerent, quia nimis egeni erant, ac si nullus in Civitate adeo opulenta, qualis tunc Hyerosolyma erat, foret, qui currum, quem offerret, haberet, sive usus curruum in illis partibus non esset, quod sine notoria oppositione Sacro Textui asseri nequit: Constat siquidem expressè talis usus, nam Acto 8. v. 28. habetur, & reuertebatur [Vir Æhiops Reginæ Candatiæ] ab Hyerusalem, quo venerat adorare: reuertebatur sedens super Currum suum, & v. 29., dicit autem Spiritus Philipo, accede, & adiungere te ad currum istum, v. 31., Rogauitque Philippum, ut ascenderet, & sedereret secum: Est ergo de fide, quod in illis partibus usus erat Curruum, cumque negare Sacro textui expressè aduersari, nisi forsitan dicatur, quod tunc temporis usus non erat Curruum, id est quadrigatum, vulgo Carrozze, que modo fiunt, & utuntur.

## OBSERVATIO XV.

Pag. 283. num. 98. super verba num. 399.

Vbi narratur tum quod Angeli Mariam Hyerosolymam detulerunt in Throno fulgentissimo ad locum illum, in quem S. Iacobus Apostolus mortis supplicio afficiendus erat adductus, qui positis humi genibus vite sue hostiam oblaturus Sanctissimam Virginem iu aere eleuatam splendore indutam vidit, volensque illam inclamare, ab Angelis fuit prohibitus verbis, quæ reuera ad literam referuntur. Tum quod Apostolus Angelo paruit, impetuque repressit, atque in silentio, & non nisi motis labijs allocutus est Diuinam Dominam verbis deuotissimis quidem [quæ etiam recitantur extracta ex num. 400] rogans, ut per manus eius animam suam offerret Deo velut Sacrificium, ac dicens: In manus tuas, & per ipsas in ipsis Creatoris mei Commendo Spiritum meum:

tum tandem, quod Maria Animam Apostoli in Thronum suum susceptam, & a latere suo constitutam in Cælum subuexit Sanctissimo Filio præsentandam.

- 53 Respondetur pag. 284. num. 99. quod nulla super his qualificationis nota apparet, & meritò, quid enim præseos narratio aliud, quam p̄ijssimæ Matris amoris specialis erga S. Iacobum, qui inter primos electos primus Apostolorum Calicem Domini bibere meruit, exhibitionem continet, siue redolet? est ne credibile piè? non videtur negari posse, adducitur ne fundatum aliquod apparens saltim in contrarium? Non sanè, ut quid ergo in Censuram euocatur facti narratio?

### O B S E R V A T I O X VI.

Pag. 284. num. 10. super verba num. 405. & duob. sequen.

Quibus narratur, tum quod Maria videns Sanctum Petrum in Carcere Christum Filium eius rogauit pro eius libertate, & fine persecutionis contra Ecclesiam, tum quod seipsum obtulit ad pugnam contra Dæmones pro illa tuenda, cuius petitioni Dominus annuit, vt legitur num 406., eidemque concessit, ut ageret omnia, quæ Ecclesiæ expedirent, vique facultatis concessæ Dæmones in Infernum amandauit, tum quod Dæmone deuicto unum Angelum designauit Maria, eique ordinauit S. Petrum eriperet, vt factum est, tum quod postquam Angelus per unum alterumque Vicum S. Petrum deduxerat, eidem declarauit, qualiter ab omnipotente Deo per intercessionem Sanctissime suæ Matris e Carcere fuerit liberatus, quo dicto disparuit: Petrus vero in se reuersus impensum sibi beneficium intellexit, gratiasque Domino reddidit.

- 54 Respondetur pag. eadem num. 101. nihil pariter super hac narratione notatum exaduerso inueniri, quam puram facti expositi recitationem, vnde nescimus, qua de causa in Censuram id euocatur; Præterea quidquid narratur ex Sacro Textu Actor 12. expressè, vel illatiuè saltim constat, pièque credibile est, vel ad minus incredibile, siue impossibile esse, haud probari valet. In primis equidem quod Pia Mater Sanctissimum Filium suum pro libertate S. Petri sui Vicarij, & fine persecutionis contra ipsum exortæ, ac pro quiete Sanctæ Ecclesiæ orauerit, non obscure colligitur ex verbis illis Sacri Textus; Oratio autem fiebat ab Ecclesia sine intermissione ad Deum pro eo, si ab Ecclesia? ergo a Maria, quæ portio, siue membrum præcipuum erat eiusdem Ecclesiæ, cuius causa erat ei à Domino commissa. Quod Angelus deinde per intercessionem Beatissimæ Matris, & Reginæ à Deo fuerit Missus, qui S. Petrum è Carcere liberaret, colligi etiam videtur ex illis: Misit Dominus Angelum suum quod præterea Zelantissima Mater se se obtulerit ad pugnam contra Dæmones pro tuenda Ecclesia contra eius hostes, quid non credibile continet? quod ipsa tandem facultate, & imperio à Domino commisso vtens ipsis in Infernum proiecerit, ibique consternati, & confusi flagellum illud de manu Virginis, non materiali, vt in aduertenter verti exaduerso

uerso apparet, sed manu, id est potestate, imperiove sibi commisso prouenisse agnouerint, quid non consonum Sacro Textui, potestati, & veritati B. Virginis importat.

## O B S E R V A T I O XVII.

Pag. 285. num. 102. super verba num. 415., & sequentibus.

Quibus asseritur, quod Maria cum intellexisset pessimum Herodis statum, propositumque euertendi omnes Christi Fideles, unam Angelorum suorum legatum in Celos misit, pro parte sua Deum rogans, ne permetteret, Herodem animum suum exequi, qui legatus à Sanctissima Trinitate remissus Dominæ sue responderet dicens, quod ipsa velut Mater, Domina, ac Gubernatrix Ecclesie potestatem, & locum Filij sui tenens Sententiam contra Herodem ferret. Quod audiens turbata est Mariæ humilitas, ac dixit: ut quidego Sententia fulmine contra facturam, & Imaginem Dei feram? Ex quo de manu eius esse accepi, quamplures homines reprobos agnoui, nunquam tamen de aliquo vindictam petij, quin potius, quantum ex me est, salutem eorum semper si fieri posset, & non panam illis procurare exceptau. Redi itaque Angele ad Dominum, & dicio meum Tribunal, & forum inferius, & subordinatum suo esse, neque ego ad mortem quempiam damnare vdeo sine novo, & expresso Supremi Iudicis ordine, & si forte Herodes ad salutis æternæ semitam reducatur, ego omnia aduersa Mundi lubens patiar, prout Diuina prouidentia constituerit, dummodò anima ista non depereat.

55 Opponitur vnicè, quod hæc responso Virginis inuerosimilis est, ac si cæteri Iudices Reos damnent, quatenus opera, & Imagines Dei sunt.

56 Respondetur pag. eadem à num. 104. non sine admiratione de huiusmodi qualitatis nota, & sanè quis non mirabitur? quisquis viscera piissima communis omnium Peccatorum Matris consideret, nedum verosimile, sed congruum, pièque nimis credibile existimare haud nequibit responsum eius datum legationi Angelicæ supradictæ, quo sese excusare, siue eximere à Sententia damnationis contra Herodem proferenda representabat, idque rationibus, & motiuis tantæ Matris in aduocatam Peccatorum constitutæ dignis, ipsum Herodem considerando facturam, & imaginem Dei. Inferre itaque exinde iouerisimilitudinem huius materni piissimi responsi, & excusationis, ac si cæteri Iudices reos damnarent, quatenus opera, Imaginesque Dei sunt, parùm considerata illatio videtur, non enim tunc B. Virgo munus Iudicis agebat, sed potius ab eo gerendo eximi peroptabat, & velut aduocata omnium Peccatorum vi Charitatis maternæ motium ad se se excusandam representabat ex parte Herodis, quod factura, & Imago Dei esset Domini sui.

57 Eiusmodi itaque Peccatorum aduocata munus gerens iterum, & tertio Angelum legatum ad Thronum Dei remisit, vt nouam instantiam ex parte sua exponeret, ac diceret verba sequentia, pag. 286. num. 106. recensita; Dic Angele mi Altissime, quod si qui-

dem Herodem mori expedit , ne Ecclesiam persequi prosequatur , recordetur clementissimè , mihi , dum in hac vita mortali ipse viueret , concessum fuisse , quod filiorum Adæ Mater , refugium , Aduocata , & Patrona esse Peccatorum , meumque Tribunai non nisi pietatis , & clementiae esse ad suscipiendos , & adiuuandos omnes , qui inuocata mea intercessione hic appellarent , quaquam si bene vterentur , ego nomine Sanctissimi Filij mei peccatorum veniam impetrer , quomodo itaque , si mibi non nisi amantissimæ Matris Viscera sunt erga homines , qui opera sunt manuum suarum , pretiumque Sanguinis sui , Iudicem modo agam seuerum contra eorum aliquem ? nunquam hactenus mihi fuit concessa Iustitia , sed semper misericordia , ad quam cor meum totum propendit , modòque intra amoris pietatem , & seueræ Iustitiae obedientiam turbatum inuenitur . Id igitur Angele mi Domino expone , disceque , an sibi complacat , quod Herodes moriatur , quin ipsum ego condemnem ? O sanè verba tantæ Matris digna ! quis ea considerans non verosimilia , nimisque credibilia , cor quantumuis lapideum emollire sufficientia non existimat , atque spem in materna viscera pietatis Mariæ Sanctissimæ , quantumuis Peccator sit , non eriget ? quis è contra eorum narrationem inuerosimilem putare audebit ? offendet plurimum eiusdem clementię .

## O B S E R V A T I O X V I I I .

Pag. 287. num. 108. super verba num. 419.

, Quibus Sententia mortis refertur , quam B. Virgo Diuinæ voluntati obtemperans , deque commissione a Deo per Angelum intimata , contra Herodem tulit .

- 58 Opponitur id etiam inuerosimile esse , cum ex Sacra Scriptura constet , quod omne Iudicium Pater dedit Filio , ipsumque constituit Iudicem vniuersalem viuorum , & mortuorum .
- 59 Respondetur pag. eadem num. 110. verba in medium producendo , quibus Ven. Scriptrix Sententiam à B. Virgine latam contra Herodem refert latinè ex Hispanico idiomate fideliter versa : *hoc prodigium operatus est Dominus ad Virginis Matris gloriam , atque attestationem , quod ipsam Creaturarum omnium Dominam constituerit cum suprema potestate , qua velut Domina , & Regina Sanctissimo suo filio perfectissimè assimilata operaretur , nec hoc Mysterium melius explanare valeo , quim eiusdem Domini verbis Ioan. 5. v. 5. de se ipso dicentis non potest Filius a se ipso facere quidquam , nisi quod viderit Patrem facientem , quacunque enim ille fecerit , hæc & similiter Filius facit . Pater enim diligit Filium , si Pater mortuos suscitat , sic & Filius suscitat , quos vult . Pater in omnes Iudicium commisit ei , ut omnes honorificant Filium , sic ut honorificant Patrem , & paulò post : hanc ei potestatem Iudicium faciendi dedisse , quia Filius hominis est , quod habet à Maria .*
- 60 Cognita itaque ( prosequitur ) similitudine , quam diuina Mater habuit cum Filio , de qua hactenus frequentem sermonem habui , facile intelligitur conformitas , & proportio Matris cum Filio , sicut Filius cum Patre in hac potestate iudicandi : tametsi cum omnibus Ade

*Ad eam inuocantibus misericordia, & clementia sit Parentis, simul veruntamen vult Altissimus, quod sciatur ipsam habere potestatem plenam cunctos iudicandi, & quod omnes eam reuereantur perinde, ac eius Filium Deum verum honorant, qui eidem tanquam veræ Matri potestatem dedit, eandemque commisit, quam ipse habet, in eo tamen gradu, & proportione, quæ Matrem et si puram Creaturam decet.*

- 61 Notetur hæc ultima clausula, & restrictio, & omnis scrupulus, suspicio, siue nota inuerosimilitudinis euaneat, eaque potestas Iudicaria in sensu Authoris asserta, & explanata, in eo videlicet gradu, & proportione puræ Creaturæ conuenienti, & decenti Matri, verosimillima, immo verissima putabitur, si etenim non obstante quod Christus Dominus Index sit vniuersalis viuorum, & mortuorum, Apostolos simul cum ipso sedentes Mundum iudicare venturos salua proportione saluanda, velut certum de fide ex eiusdem Christi verbis statuimus Clas.2. pag.148. num.234. cur Mariæ deneganda est potestas Iudicaria, quæ a B. Alberto Magno appellatur *Iudicissa viuorum, & mortuorum.*

### O B S E R V A T I O X I X.

Pag. 289. num. 115 super verba num. 457.

Vbi dicitur, quod Apostoli, ac discipuli Domini S. Petrum Hyerosolymam conuocarunt rogantes, ut piè etiam B. Virginem suaderes illi credere, ut ea præsente disponerentur, quæ expedirent, ne prædicatio Fidei impediretur. Petrus itaque protinus Hyerosolymam proficiendi statuit, prius tamen Epistolam ad B. Virginem scripsit, quæ legitur ibi num. 458. in qua sequentia habentur: *Cum autem Hyerosolymæ fuerimus aliisque Ciuitatibus rei totius notitiam faciemus, & cum te assistente ea decernemus, quæ circa Sanctæ Fidei materiam, & legis gratiæ propagationem concernentia fuerint.*

- 62 Opponitur tantummodo, quod huius Epistolæ nullum est in traditione fundamentum.  
 63 Respondetur pag. eadem num. 117. quod nullam mereatur solutionem hoc fundamentum, ut potè negatiuum ex iterato dictis.

### O B S E R V A T I O X X.

Pag. eadem num. 118. super verba num. 490.

Quibus asseritur, quod Maria post Sacram Communionem quādam vice corpore, & anima in Cælum euecta, Angelus unus eius loco in Cœnaculo manxit, ne eius absentia cognosceretur: additur insuper, quod ipsa in superiorē aeris partem eleuata iussi sunt illuc adeisse Lucifer, & omnes eius sequaces.

- 64 Opponitur vnicè contra hoc ultimum, quod nimis ea visio superflua, inutilis, & incredibilis videatur: ut quid enim (arguitur) Dæmonum in aeris superiori parte apparitio? non certè, ut

viderentur à Maria, qui cum sit spirituales oculo corporeo vide-  
ri nequeuat, & vt viderentur visione intellectuali, superuacanea  
erat eleuatio : prolixioribus discursibus, vel potius curiosis sci-  
scitationibus oppositio efformatur ab Authore quartæ Censuræ :  
qua necessitas, vel utilitas (inquirit) comparitionis Dæmonum  
coram B. Virginie erat ? forsan vt eos de visu cognosceret ? for-  
san vt eos in bonum exhortaretur ? forsan vt in eis Iudicia Dei  
mirarentur ? Ad hæc quippe sat erat scire damnationem eorum  
æternam : Vellem scire insuper, quomodo in se ipsis cognouit ?  
non certè solo intellectu, ad id equidem superflua erat illa com-  
paritio in aeris Regione : quoniam etiam in Inferno existentes  
poterant ab ipsa videri. Non oculis Corporeis, nec sensu aliquo  
interno, minusque externo ; quia sunt substantiaz Spirituales,  
qua prout sunt in se ipsis videri nequeunt sensu aliquo interno,  
vel externo, & minus oculo corporeo, nisi in Sententia Scotista-  
rum cum Scoto tenentium Deum de potentia absoluta posse ocu-  
lum corporeum eleuare ad videndos Spiritus, quod si in præsen-  
ti euenisse afferatur, qua major temeritas, quam factum velut re-  
uelatum recensere innixum dumtaxat opinioni a meliori parte, &  
maiori Theologorum impossibile iudicatum ? quoisque igitur Ma-  
ter de Agreda euidenter concludat id a Deo fieri posse, cuicunque  
velut impossibile factum iudicabant, falsamque per consequens re-  
uelationem.

65 Respondetur pag. 240. num. 121., & sequentibus, quod modus iste  
notandi doctrinam Ven. Authoris Omnipotentiam Dei, finesque,  
quos habuit in facto narrato varijs curiosis sciscitationibus, nulli  
fundamento positivo innixis, limitat, dignusque propterea responsione  
non est, sed sufficit eius mera recitatio, vt quisque velut im-  
portunum, & insubstantem existimet. Ultraquamquod verbis  
expressis Dei Famula num. 222. productis congruentiam comparitionis,  
& Visionis Dæmonum ad finem ab Omnipotente prætentum  
declarat, vt nimis ipsi Beatissimam Virginem Corpore, &  
Anima in Cxlium ascendentem a Terra longe eleuatam viderent,  
agnoscerentque peculiari modo medijs speciebus extraordinarijs  
authoritatem, potestatem, & eminentiam, quam supra ipsos ha-  
bebat mulier illa, quam velut inimicam persequebantur, si vulque  
intelligerent propriam audaciam conatum stolidum, que n contra  
illam machinabantur.

66 Ut quid autem Dæmonum comparitio in parte aeris superiori, vt  
viderentur a Maria ? respondetur congruum id fuisse, vt videlicet  
cum ipsis sint, & dicantur aereæ potestates, ibi etiam exterriti,  
humiliati, & confraeti a Muliere illa manerent, atque exinde  
maiori casu, & confusione in profundum Inferni deuicti, & proie-  
cti descenderent. In eum igitur finem, aliosque ibidem recentitos  
voluit Dominus, ac iussit illos comparere coram Beatissima Virgi-  
ne, ab eademque videri, non quidem visione corporea, quia cum  
Spirituales sint, id impossibile esse etiam attenta absoluta Dei po-  
tentia omnes Scotistæ cum sui subtili Magistro propugnari, opposi-  
tumque ipsius tribuere apertissima est impostura.

## O B S E R V A T I O   X X I .

Pag. 292. num. 125. super verba num. 493.

Quibus sequentia narrantur: Primò, quod B. Virgo Cælum Empyreum ingressa, & coram Sanctissimæ Trinitatis Throno prostrata eundem in unitate individuæ naturæ, & maiestatis adorauit, ibique pro S. Ecclesia preces fudit, ut Apostoli intelligerent, & statuerent, quæ ad legem Euangeli stituendam, & Mosaicæ terminum erant necessaria: Secundò, facta hac petitione audivit vocem de Throno, qua omnes tres Diuinæ Personæ, & unaquæque ordine suo promittebant Apostolis, & Discipulis assistentiam. Tertiò, Diuina Domina vidit, quatenus ex ipsa Diuinitate, & esse Dei immutabili formæ, siue species quædam Templi, siue Ecclesiæ pulcherrime progredetur. Quartò, Eam Ecclesiam Beatissima Trinitas Sanctissimæ humavitati Christi tradidit, quam ipse modo quodam mirabili prorsus secum vniuit, & deinde Filius eam in manibus Sanctissime Genitricis jug reposuit. Quintò, Post nodum Beatissima Virgo in Cenaculum fuit ab Angelis reportata secum semper portans manibus Tempulum illud, ibique per dies nouem orationi extitit vacans, & immota. Sextò, Inter alia, que ea occasione fecit, Redemptionis thesauros Ecclesiæ illius Filijs distribuit incipiens ab Apostolis, ad futuraque Secula se extendens iuxta occulta Prædestinationis eterne Decreta diuersis Sanctis, ac Iustis, & quia istorum Decretorum executio Mariæ Sanctissime fuit commissa à suo Sanctissimo Filio, totius Ecclesiæ dominium, absolutusque dispensandæ gratiæ usus, prout cuique ex meritis Redemptoris esset impetratura, fuit concessus.

- 67 Opponitur ex hac narratione nonnulla superflua, absurdæ, falsa hereticalia inferri, sed quænam sint ista, ea seorsim, ac restrictum in respondendo recensentur.
- 68 Respondeatur pag. 293. a num. 126. usque ad 138. quod B. Virgo in primis in Cælum Empyreum eleuata, ibique ante Thronum Beatissimæ Trinitatis prostrata occasione Concilij primi Apostolorum celebrandi Deum pro nascente Ecclesia, pro ipsisque Apostolis interpellaret, velut superfluum arguitur; namque necessitas ad id tam longum iter aripiendi erat, cum Deus ubique sit, nisi forsan Mater de Agreda dicere voluerit B. Virginem ultra preces pro Ecclesia audire voluisse proprijs auribus constantiam trium Diuinorum Personarum in adimplenda promissa assistentia Sanctissime Ecclesiæ, quod sanè absurdum, stultumue est.
- 69 Præscindimus in respondendo a modo, quo velut superflua notatur eleuatio Mariæ Sanctissime ad Cælum Empyreum, eiusque intercessio coram Throno Sanctissimæ Trinitatis pro impetranda assistentia speciali Ecclesiæ, & Apostolis in his, quæ in Concilio decernere expediret ad legem Euangeli stabiendi, Mosaicamque terminandam: An autem locum habeat huiusmodi oppositio contra propositionem adeo grauem, & piam dignamque maternæ sollicitudinis, & amoris erga Sanctam Ecclesiam, eiusque interpolationis pro ea coram Throno SS. Trinitatis, his, quibus comi-  
mis-

missum est Iudicium, submittimus, nobis satis est dicere, ut dicitur  
ceterum eam propositionem nec errorem contra Fidem, nec contra  
bonos mores, nec contra doctrinam communem Ecclesiae contine-  
re probari, sed sanam potius, piam pieque credibilem esse.

70 Velut falsa deinde notatur assertio illa, quod Beatissima Virgo au-  
diuit vocem de Throno, qua omnes tres Diuinae Personae, & una-  
quaque singulariter suo ordine eiusdem petitioni annuerunt pro  
assistantia Apostolis promissa, sed quare falsa? quia operationes  
ad extra [arguitur] qualis fuit vox illa, communes sunt toti Tri-  
nitati; sed nunquam Ven. Author eam indivisionem excludit, vel  
excludere ex eius verbis inferri valet? non sanè, sed falso id im-  
putari ex eiusdem contextibus varijs in locis, præsertim part.2.  
num.125. concluditur: *Superno* (inquit) *de novo*, quod inter tres  
diuinæ Personas fide affirmante detur quidem distinctio Personarum,  
nulla tamen inæqualitas in Sapientia, Omnipotentia, ceterisque  
attributis, sicuti nec in ipsa substantia naturæ Diuinae talis inæqua-  
litas dari potest: Porro sicut in Dignitate, & perfectione infinita  
& quales sunt, sic etiam in operationibus, quæ vocantur ad extra,  
quia extra Deum exeunt, ab ipsoque operante. Itæ operationes inter  
tres Diuinæ Personas sunt induisse, quia non sunt ab una Persona  
sola, sed ab omnibus in quantum sunt unus Deus habentes unam,  
eandemque Sapientiam, intellectum, & voluntatem, ita sicut Fi-  
lius scit, vult, & facit, quod Pater, ita & Spiritus Sanctus scit,  
vult, & facit, quod Pater, & Filius.

71 Quid clarius loqui potuit Author nostra pro statuenda indivisione,  
operationum ad extra, inter tres Diuinæ Personas? qualiter tam-  
en cum hac sanissima Theologica doctrina stare valeat locutio il-  
la: *Tres Diuinae Personæ, & unaquæque suo ordine singulariter, Ipsa*  
*Dei Famula num.449. explanat verbis expressis pag.294. num.130.*  
*recensitis huius tenoris. Omnem hunc apparatus (de quo imme-  
diatè antecedenter) & quicquid eo significatur, omnes tres Diuinae*  
*Personæ, & unaquæque singulariter confirmarunt, eo (Maria) de-  
clarando participationem sibi commissam Diuinorum attributorum,*  
*quæ cuilibet appropriantur: Ad hæc igitur conformiter locuta est*  
*in præsenti casu verbis pag. eadem num.132 productis dicens:*  
*bisce precibus effusis audiuit vocem de Throno, qua tres Diuinae Per-  
sonæ, & unaquæque singulariter suo ordine promittebant assistantiam*  
*postulatam Apostolis, & Discipulis, ut diuinam veritatem declara-  
rent, & stabilirent, dirigente eos Eterni Patris potentia, Filij,*  
*seu Capitis Sapientia, & Spiritus Sancti, velut Sponsi amoris, alio-  
rumque donorum illis traditione.*

72 Ecce clarissimam explanationem Clausulæ illius: & unaquæque  
singulariter ordine suo promittebant: assistantiam postulatam a sin-  
gulis Diuinis Personis promissam, unaquaque applicante attribu-  
tum, quod cuilibet velut proprium attribuitur, quam si Censor,  
ut debuit, animaduertisset, non eam velut falsam existimasset;  
non enim Ven. Author vocem illam à tribus Diuinis Personis,  
ut communem emanasse negat, imo expressè supponit, adiungit  
tamen modum, & ordinem singularem iuxta modum, & ordinem  
specialem attributorum, quæ vnicuique singulariter attribuuntur,  
Patri videlicet Omnipotentia, Filio Sapientia, & Spiritui Sancto

Amor; non ergo nisi ex defectu aduententis debite inferre potuit Censor Iudicium de falsitate assertae Doctrinæ Ven. Scriptricis.

- 73 Velut error tandem contra Sacram Scripturam, Concilium Tridentin., Sanctæ Ecclesiæ mentem, SS. Patres, & Theologos notatur, quod Beatissima Virgo a Matre de Agreda afferatur diuinorum Decretorum circa Prædestinationem executrix, gratiæque Diuinæ dispensatrix, cum id proprium sit Christi, & Spiritus Sancti, nulli alteri competere valens, & præcipue gratiam conferre, siue distribuere soli Deo ex Textibus tum Sacrae scripturæ, tum Concilij Tridentini exaduerso adductis.
- 74 Respondetur tamen pag. 295. num. 135. supponendo Textum verborum ut iacent, iuxta genuinum planumque sensum, expositum aliàs in responce obseruationi X. præsentis Classis super verba Ven. Scriptricis num. 313. quæ uti aptissima producuntur huius tenoris: *quemadmodum Sacratissimæ Matris Dei Mariæ voluntas rectissima semper fuit, & Sancta, in omnibus Sacro/anci Trinitati summo perè grata, & accepta, quoad omnia consona, & conformis, ita iuxta nostrum modum concipiendi videtur Deum diuersum quid à voluntate purissime Domine velle in executionem non posuisse, & quia deinde Pater Cœlestis vt Filiam, Filius vt Matrem, & Spiritus Sanctus vt Sponsam eam habebant, omnesque pariter tres Ecclesiam eidem concrederant, confidente in ea viri sui corde, ita tres Diuine Personæ ob hosce omnes titulos nihil executioni mandandum fore statuere absque consilio, sapientia, & quasi beneplacito Mariæ.*
- 75 Iuxta hæc igitur, eorumque legitimum sensum, sanum quidem, ut inibi manet ostensum, accipienda sunt verba in præsentiarum obseruata, quibus Ven. Abbatissa afferit commissam fuisse Matri à Sanctissimo Filio executionem diuinorum Decretorum circa Prædestinationem Sanctorum, dispensationemque absolutam gratiæ donorum, prout unicuique ex meritis Christi esset impetratura: solum illa clausula: *iuxta nostrum modum concipiendi, illaque; Commissam sibi a suo Sanctissimo Filio diuinorum Decretorum, & distributionis gratiæ, si notentur. Onatem procul dubio existimatam oppositionem Sacrae Scripturæ, Concilio Tridentino, Sancte Ecclesiæ Patribus, & Theologis, pœnitus excludunt, ac præcludunt, quod si aliàs SS. Patres, Doctoresque Catholici Mariani euoluantur, maiora longe inuenientur ab eis scripta de commisso B. Virginis Imperio, potestate, Dominio, usque in exequenda Dei voluntate, eiusque Decretis etiam circa Prædestinationem Sanctorum, ac distributionem gratiæ donorum, vt videre est pag. 296. num. 137., & sequenti, vbi prætermisis quamplurimis ipsorum testimonijs nonnulla desuper aptissima recensentur.*

## O B S E R V A T I O XXII.

Pag. 297. num. 139. super verba num. 533.

Vbi hæc habetur propositio: omnes Fideles pendebant à Maria Sanctissima, dum viuens erat, uti planètæ à Sole recipiunt influxus, ab illoque nutriuntur, & viuificantur.

Op-

- 76 Opponitur falsissimam esse eam dependentiam ; aut enim (arguitur) loquitur Scriptrix in ordine naturali, & sic Fideles, ut viuerent, a causis naturalibus, inter quas non numeratur B. Virgo, dependebant, & quantum ad nutritionem a cibis, quos sumebant dependebant, aut in ordine supernaturali ? & in hoc sensu Fideles viuunt, & regenerantur a gratia, & charitate Diuina, quæ nequit a Virgine produci, sed a solo Christo ; similitudo Solis respectu planetarum impropriissima est : Ulterius, ut mortui adulti spiritualliter resurgent, motus ex parte voluntatis, & liberi arbitrij requiritur, cuius Deus solus potest esse motor. Ipsi nutriuntur, & augentur spiritualiter in Iustitia, & sanctitate per Iesum Christum iuxta Tridentinum sess.6.c.10., estque opus tale, ut soli Deo competit iuxta Apostoli illud ; *Ego planctui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit*: B. Virgo poterat utique sua potenti intercessione influere in hominum Iustificationem, sed non aliter ; Si ergo id certissimum est, quodque Sciola, Italice *Dottoreffæ*, (inquit Author quartæ Censuræ, quasi irriforè) Mater de Agreda, ignorare nequibat, cur ita loquitur, ut afferat, quod Fideles a Maria, dum viuerent, dependebant, uti planete a sole, ansam sic prebens incidendi in errorem, quod si prætentat in B. Virg. fuisse, & esse virtutem, & si participatam producendi gratiam, nedum scandalum, sed errorem continet.
- 77 Aliud scandalum [prosequitur idem] volo referre. In quampluribus locis afferit Mater de Agreda, quod B. Virgo fuit simul Viatrix, & comprehenstrix, unius, & alterius status particeps, quin sese explicet, solumque in fine operis taliter loquitur, ut destruat, quidquid desuper dixerat, nisi itaque totum opus ex integro quisque legat, errore imbutus manebit, ut quid ergo occasio errandi Idiotis præbetur ? Eandem astutiam pluribus in locis manifestat dicens Mariam fuisse eleuatam, & collocatam in Throno Santissimæ Trinitatis non sese explicando, nisi paulò ante finem operis num. scilicet 775.
- 78 Respondetur pag.298. a num.143. prætermittendo modum, qui appetet censurandi, & quo Author Censuræ vtitur Ven. Scriptricem sciolam, siue doctoresam irriforè appellando, modestam responsionem obiectis exhibemus. Tres propositiones velut falsæ, scandalosæ, & erroneæ, siue errandi occasionem præbentes adnotantur. Prima est *omnes Fideles à Virgine Matre, dum viueret, dependebant, uti plancte à Sole, a quo aluntur, & riufificantur* : Sed quare quia sic liberè prorsus apprehenditur ; non quia verba Scriptricis, vel etiam leue fundamentum præstent. Textus integer iuxta genuinum sensum pag.299. num.143. adductus conuincit. *Videlicet pari quidem passu, quo in Maria sempiternæ, infiniteque Sapientiæ Mysteriis complebantur, ipsa magna Domina supra omnis Sanctitatis spheram, omniumq; Creaturarum cogitatum eleuabatur : Omnia hæc opera secum Domina conferebat, atque altissimæ sapientiæ suæ pondere perpendebat, crescebat interim Diuini amoris flamma cum Angelorum ceterorum Cœlestium admiratione, & sanè tantæ ardoris vim, qua secum agebatur, atque in ipsius Dei abyso submergebatur, ferre nequaquam potuisset, nisi superna virtute naturalis eius Vita fuisse conseruata : Sicut vero simul summa charitate pisci-*

piissimè Matris erga Filios suos Fideles agebatur, qui omnes ex ependebant, uti plancte a sole, a quo aluntur, & viuificantur; ad talē statum deuenit ipsa, vt viueret ipsa in dulcissima, fortissima, violentia, qua nimis simili in pectore suo coniungere contendebat.

- 79 Ecce Textus, cuius sensus planus, & legitimus est; tantus erat ardor amoris B. Virginis, erga Deum, eoque deuenerat, vt eum ferre nequirit, nisi Diuina Virtute naturalis eius vita fuisset conservata, sed quia exinde simul summa charitate piissimæ Matris erga Fideles filios suos agebatur, in eum statum deuenit, vt viueret in dulcissima fortissima violentia, qua totum coniungere contendebat; dependentia igitur fidelium à Maria Sanctissima, dum viueret, alia non erat, quam ipsorum vti Filiorum summa Charitatis, qua Maria Sanctissima velut piissima Mater erga ipsos ferebatur, vtpotè quos ipsa in Spiritu genitos pepererat, vti ipsa Ven. Author exponens cap. 12. Apocalip., & in specie vers. 5., & peperit Fidem masculum, qui recturus erat gentes in virga ferrea, par. 3. num. 513. mira illa verba à nobis producta pag. 300. num. 145. scribit videlicet: *Filius iste vir est ipius Ecclesiae Spiritus rectissimus semper, atque fortis, qui in Christi summi boni nostri rectitudine, & potestate omnes gentes regit in Iustitia; hæc omnia partus sunt Diuina Mulieris Mariæ, nedum qui Christum peperit, sed quia ipsam Ecclesiam quoque meritis suis, curaque secundum rectitudinem illam genuit, ac toto tempore, quo in terris vixit, solertissime eam educavit, & enutriuit, atque modò, & semper conseruat in eodem spiritu virili, in quo nata est, quantum ad Catholicæ veritatis rectitudinem, aduersus quam nec Portæ Inferi præualebunt.*

- 80 Iuxta hæc, quæ, & si miranda, sanctissima sunt; dependentia Fidelium à Maria Sanctissima non aliter intelligi debet, quam velut filiorum, quos ipsa vti piissima Mater in charitate, & in spiritu meritis, factis, exemplis suis, curaque materna genitos post Christi Filij sui in Cœlum ascensum educavit, & conseruavit, modòque conseruat, protegit, atque defendit spiritu illo virili, quo nata fuit Ecclesia, quantum ad veritatem, Doctrinamque Catholicam, contrà quam eiusdem præsidio, ac potestate Portæ Inferi non præualebunt, sed potius confringentur cunctæque hereses ab ipsa sola interimentur in uniuerso Mundo: vti ipsamet S. Ecclesia agnoscat, fateturque.

- 81 Neque profectò ad huiusmodi dependentiam explicandam aptiori exemplo vti potuit Ven. Author, quam dependentia planetarum à Sole, à quo nutriuntur, & viuificantur, non quia aduerbiū illud vti. Omnimodam similitudinem exprimat, sed aliqualem, vt etenim Dic. Thomas par. 3. quæst. 2. art. 6. ex Dico Damasco lib. 3. Orthodoxæ Fidei animaduertit: *non est necesse omnifariam, & indefectiù assimilari exempla: quod enim in omnibus est simile, idem utique erit, & non exemplum: Id quod quampluribus Sacrae Scripturæ Textibus constat. In hoc itaque sensu: vti planetæ à sole dependent, quatenus ab ipso influentias recipiunt, viuificantur, & crescunt, sic quodammodo Fideles velut Filii geniti in spiritu, & charitate Beatissimæ Virginis, dum viueret dependebant, modòque dependent ab ipsa tanquam à piissima Ma-*

- tre quoad vitam spiritualem, id est quantum ad Doctrinam, & veritatem Catholicam conseruandam contra Portas Inferi, eo sensu, quo Sancta Mater Ecclesia ipsam agnoscit, fatetur, & salutat: *Salve vita & dulcedo: Spes nostra: Mater Divinae gratiae;* est ne haec Sanctae Ecclesiae confessio falsa, scandalosa, & erronea? absit; absit ergo pariter assertam dependentiam ut tales, iudicare.
- 82 Secunda propositio est: quod Beatissima Virgo iuxta Matrem de Agreda pluribus in locis Viatrix simul, & Comprehentrix fuit unius, & alterius status particeps, quin sese amplius explicet, (arguitur) occasionem errandi sic praebens Idiotis, solumque in fine operis taliter se explicat, ut totum destruat, quod dixerat, vnde totum opus legere oportet, ut occasio erroris vitetur, quod si malitia non est, imprudentia magna non caret.
- 83 Respondetur pag. 301. num. 148. vbi quantum hallucinetur Censor ex non considerata intelligentia mentis Ven. Authoris, verbis eiusdem presentis partis num. 32., quæ pag. eadem num. 149. recensentur, concluditur: huius tenoris: *Postquam à dextra Beatissimi Filii sui Regina nostra in Mundum reuersa est, non modo communi sanctorum Spiritus eius fuit illustratus, nec quo ante Ascensionem perfruebatur, sed in præmium visionis clarae, & intuituæ, quæ carere elegit, ut ad Ecclesiam militarem se restitueret, dotata fuit alia visione abstractuæ continua Diuinitatis, cui commensurata alia fruitio respondebat, atque hoc speciali modo status comprehendens particeps erat, quamvis in statu viaticis degebatur:* Si igitur loco visionis clarae, & intuituæ Diuinitatis, qua se ultro priuavit, Ven. Author adeò expressè ait visionem abstractuam fuisse Mariæ donatam, adiungens clausulam illam: *quamvis in statu Viaticis erat, ignoramus quomodo exinde concipere potuit Censor eamdem Virginem de mente Scripticis comprehenstricem;* quomodo præcipue quod non sese amplius explicauerit ipsa, occasionem errandi Idiotis praebens.
- 84 Audiatur ulterius ipsa expressius sese declarans num. 128. ab ipso etiam Censore citato, verbis recensisit num. 154. quibus inter alia ait: *Nouum operandi modum omnipotentia Dei concessit, quæ et si Viatrix erat non visione Beatifica comprehendens fruebatur.* Item, & verbis recitatis num. eodem, ut videre est.
- 85 Tertia Propositio de astutia eum asserentis notatur, dum Mariam Sanctissimam in Throno Sanctissimæ Trinitatis nonnullis in locis collocat, quin desuper se explicet nisi ad calcem operis, vbi quid intelligi debeat per Thronum illud explanat, sed quis non videt, quām inanis sit oppositio? quod enim qualis sit Thronus Dei in Cœlo Sac. Scripturæ, de hoc frequentissime loquentes, immo & supponentes, nobis non exprimant, licet astutia tribuere? absit. Præterea si Ven. Author in fine operis se desuper explicat, vt Censor fateatur, & quidem terminis propriissimis ad miraculum, ut videre est; quod non toties quonties loquitur de Throno Dei, ad quem Maria Sanctissima fuit elevata, quis, & qualis sit, siue quid intelligendum sit per illum explanet, quid inde astutia? Cum præsentim communis loquendi modo intelligatur.

## O B S E R V A T I O XXIII.

Pag. 303. num. 157. super verba num. 537.

Quibus asteritur, quod quadam vice Deus manifestauit Mariæ suam Diuinitatem visione abstractiuia media specie creata repræsentante ipsam prout est in se, eaque ex tunc fuit continua, siue permanens usque ad mortem; & num. sequenti adiungitur, quod tali visione idem obiectum Diuinitatis, & attributorum, de quo Beati pacificè fruuntur, videbat, & plusquam Beati.

86 Opponitur ab Authore quartæ Censuræ tria sibi occurrere, quæ seorsim proponuntur, ut soluantur. Primò sic: Si vera est ea visio, necesse est, quod possibilis sit species illa Diuinitatem, vt est in se, repræsentans, & licet Scotistæ eius possibilitatem statuant, reliqui Theologi cum Diuo Thoma impossibilem eam adstruunt, etiam de potentia Dei absoluta: Expectabimus itaque, quod Mater de Agreda evidentè ostendat illius possibilitatem, & postea discurremus de facto; si ipsa dicat sibi reuelatam esse eius existentiam, cæteri Theologi deridebunt; ultraquamquod vnum esset authorizare opinionem Scotistarum hac reuelatione.

87 Huic primæ occurrentiæ tali quali respondetur pag. 304. num. 160. modòque præscindendo à modo, terminisque, quibus proponitur, respondetur opus non esse expectare, quod Ven. Author possibilitatem speciei infusam propriam Deum, vt est in se, repræsentantem, ostendat, eam siquidem possibilem esse, eaque mediante visionem abstractiuam, quin etiam de facto Adamo fuisse concessam in statu innocentia ex Diuo Thoma, sicut etiam B. Virgini ex Alberto Magno, & S. Birgitta, aliisque animabus Sanctis probatum dedimus Classe prima Positionis sæpedictæ art. 12. §. 1. num. 262. an autem species illa, de qua loquitur Dei Famula in præsenti, fuerit quidditatua, de cuius possibilitate, & existentia in scholis controvertitur, ipsa non declarat, sed solùm dicit visionem illam abstractiuam fuisse per speciem propriam creatam supernaturaliter infusam Deum repræsentantem.

88 Sed etsi de mente Scriptricis illa species ponatur nedum propria, sed & quidditatua Diuinitatis, de cuius possibilitate, & existentia in scholis vertitur, pars affirmativa defenditur non tantum à Scotistis, sed & alijs grauissimis Theologis extrà ipsorum scholam, ut ignorare non potuit Censor, quod sufficit, vt eiusdem existentiæ, & concessio B. Virgini immunis ab omni Theologica Censura habeatur, quin inde Theologi oppositum propugnantes motiu m. deridendi nisi iniustè habeant.

89 Secunda occurrentia est contra continuationem, & permanentiam assertam visionis dictæ toto residuo vita B. Virginis, quod nimurum ea admissa, & si non concessa, semper ipsa fuisse in totali alienatione à sensibus, cum vita eiusdem Virginis non fuerit Beata, sed Viatrix, & mortalis. Res planè, quam solus insensatus dicere potest. Scio (adiungit Censor) Matrem de Agreda admitttere in Maria quandam non usum, siue parum sensuum, quod tamen annumerari debet inter alia eiusdem deliramenta.

- 90 Huic etiam tali quali occurrentia respondet pag. 305. num. 164. verbis Ven. Authoris num. 537., quibus qualiter visio illa abstractiuam continua, & permanens extunc fuit mirè explanat, congruentissimamque rationem assignat, ut videre est ubi supra, quin exinde vllum inconueniens, & minus repugnantia, contradictione vlla appareat; ad illud autem, quod exaduerso subinfertur, quod vide licet B. Virgo alienata priorsus esset à sensibus, quod solus insensatus dicere potest, atque inter alia deliramenta Scriptricis annumerari debet, dicitur quod solum parum versatus, vel nullam notitiam habens de miris raptibus, & excessibus, quos quamplures Sancti passi sunt mentales absque totali à sensibus alienatione, sed cum aliquali eorum usu, illud subinferte posset, nec Censor illud subintulisset profecto, si verba, quibus Ven. Abbatissa, statum, ad quem B. Virgo fuit eleuata, describit à num. 538. usque ad 545. inclusuè, perpendisset, quæ numeris citatis producuntur, sed quia fusa sunt nimis, ea repetere omittimus, considerareque exortamus.
- 91 Tertia occurrentia est super clausulam illam, quod per illam visionem abstractiuam B. Virgo plusquam Beati visione intuitiuam vidit, & intellexit de Deo, & attributis: quod est impossibile, etiam iuxta Matrem de Agreda par. 1. num. 628. de visione intuitiuam, & abstractiuam loquentem, ac dicentem, quod abstractiuam est valde distincta, inferiorque intuitiuam: quod si verum est, quis concipere, siue credere poterit, quod B. Virgo visione abstractiuam plus vide ret de Diuinitate, & attributis, quam Beati intuitiuam, qui medio lumine gloriae Deum vident. Dixisset saltim de aliquo Beato, sed dicendo indefinitè de cunctis, supremos etiam Cherubin comprehendit.
- 92 Huic pariter occurrentia dupli via fit satis pag. 310. num. 173. primò ex Doctrina Diui Thomæ par. 3. quæst. 11. art. 4. ubi compa rans scientiam infusam Christi cum scientia infusa Angelorum ait, *quod illa Christi excedit istam quantum ad multitudinem obiectorum:* Idem ergò dicitur de scientia B. Virginis per cognitionem abstractiuam Diuinitatis, quod excesserit scientiam beatam intuitiuam eiusdem obiecti Diuinitatis omnium Beatorum quantum ad multitudinem obiectorum in illa, de hocque excessu loquitur Dei Famula par. 2. num. 6. sub eodem num. citato recensitis verbis. Secundò respondeatur, etiam admisso quod loquatur de excessu intensu, siue quoad maiorem intensionem, siue penetrationem obiecti, nullam in eo esse difficultatem, & minus repugnantiam, ut argumen to Theologico ibidem, ut videre est, conuincitur: Deum etenim videri siue intuitiuè, siue abstractiuè quidditatius plura in eo manifestari, vel minora, maiori, vel minori intentione, siue penetratione, liberum esse ipsi, fateri debet, quod liberè voluerit plura in se ipso manifestare, majorique penetratione B. Mariæ per visionem abstractiuam quidditatiam, & propriam, quam omnibus Beatis per visionem intuitiuam, nulla est implicantia, salua distinctione, siue inferioritate visionis abstractiuæ ab intuitiuæ, illius videlicet mediante lumine gloriae, & istius mediante velo speciei propriae, & quidditatia.

## O B S E R V A T I O   XXIV.

Pág. 311. num. 174. super. verba num. 557. usque ad 564.

Quibus modum, quo Sacra Euangelia fuerunt scripta, Mater de Agreda describit, eius verba non ut iacent, sed mutilata exaduerso producuntur, ea tamen fideliè versat dantur à num. 175. usque ad 181. quibus suppositis.

- 93 Opponitur falsam omnino esse eorum narrationem, ac per consequens assertam deputationem quatuor Evangelistarum in primo Concilio Hyerosolymtano, à S. Petro velut supremo Capite, & Præside, eaque ab eadem Scriptrice solemnitate facta describitur sequentibus fundamentis: Primò quod si facta fuisset ea deputatio adeò solemnis, & publica solemnitate, S. Lucas eam quodammodo insinuasset, dum acta Concilij illius minutissimè narrat, sed quām inane sit hoc fundamentum ut potè negatiuum, ex dictis sèpè sèpius constat.
- 94 Secundò, quod ad nissa ea deputatione, qualis narratur, fides, & reuerentia Sacror. Euangeliorum non parùm extenuaretur apud Hæbreos, & Gentiles, qui facilè suspicarentur, quod quatuor illi Deputati mutuò inter se contulissent, ac finxissent id, quod scribere volebant de vita, gestis, & miraculis Christi, & postmodum conuenirent unanimes in eo, quod unusquisque scribere deberet, ne unus alteri in scribendo contradiceret; Vnde iudicaretur opus humanæ industriæ, & nequitia; non autem diuinum.
- 95 Respondet pag. 318. num. 188. hoc pariter fundamētum nedium inane, siue futile esse, sed alienum prorsus à viro Catholico; num, quid enim ex eo, quod Catholicæ veritates ab Hætherodoxis impletantur, in malam partem audiantur, vel sinistrè de earum firmitate suspicentur, ipsarum appretiationem, fidem, & reuerentiam, decrescere, vel non ut opus diuinum, sed humanæ industriæ, siue astutiæ, vel nequitia cogitare licet? Præterea negata ea deputatione quatuor Evangelistarum in Concilio eo modo, forma, & solemnitate, quibus à Ven. Scriptrice recensentur, potiori titulo Sacrorum Euangeliorum reuerentia, fidesque decresceret, majorque occasio eorum hostibus daretur suspicandi, quid quid suspicatos presumitur, vel potius fingitur exaduerso, vñ notum est rem intimè consideranti.
- 96 Tertium fundamentum est, quod S. Marcus suum Euangenium Romæ scripsit ad preces Fidelium, prout à S. Petro, cuius erat Discipulus, fuerat ei narratum, & quidem lingua latini, ut testantur S. Hieron. Ireneus, Origenes, Clemens Papa, & alii ab Eusebio Cesariensi in historia Ecclesiastica citati. Non ergò illud scripsit in Palestina, nec in lingua hæbraica, vt Mater de Agreda adstruit; dicere autem, vt etiam dicit, scriptum Romæ copiam fuisse illius, quod in Palestina scriperat, subtersum est ad illudendum authoritatem S. Hieronymi; Sanctus quoquè Lucas diversum habuit motuum scribendi ab eo, quod Mater de Agreda recenset, vt appareat in principio sui Euangeli videlicet: *Vñsum*

*est mihi affectu omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere optimè Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Si ergò ex eo, quod apparet, motiuo ad instantiam Theophili Antiocheni suum Euangelium scripsit, vt quid recurritur ad voces, luceisque de Cœlo delapsas, ad apparitionem nec non B. Virginis, vtì Mater de Agreda recurrat? Sanctus denique Ioannes suum Euangelium rogatus ab Episcopis Asiac contra Cerintum, & præcipue contra errorem Ebionitarum tunc exortum vtì S. Ecclesia authoritate S. Hieronymi in officio eiusdem Sancti Ioannis fatetur.*

- 97 Respondetur pagina qua supra num. 189. hoc fundamentum nonnulla continere, quæ salua veritate subsistere nequeunt: Non enim in primis Ven. Author S. Marcum Euangelium Romæ scripsisse negat ad preces Fidelium, sive in lingua Hæbreæ, sive Græca, sive Latina, de quo nihil certum, sed potius id supponit: Inde tamen inferre non licet falsam esse opinionem afferentem, id primò scriptum fuisse in Palestina, sed solùm opinatiuè id affirmari posse; dicere autem, vtì exaduersò dicitur, subterfugium esse Matri de Agreda ad deludendam autoritatem S. Hieronymi afferere, vt ipsa afferit, scriptum Romæ copiam fuisse prioris, nimia facilitas est absque ullo fundamento; Sanctum præterea Lucam suum Euangelium scripsisse ad instantiam Theophili Antiocheni, vtì, & Sanctum Ioannem ad preces Episcoporum Asiac fatemur, non tamen ex eis velut ex motiuo primario; Id enim motio fuit Spiritus Sancti mediante ordine, ac deputatione Concilij pér os Sancti Petri velut eiusdem organi voce, luceisque de Cœlo delapsa eam deputationem confirmante: aliter enim vtriusque Euangelium non velut canonicum, hoc est à Spiritu Sancto dictatum ab Ecclesia proponeretur, quod salua fide afferi nequit.

- 98 Quartum fundamentum est, quod Concilium, in quo designatio Euangelistarum afferitur facta, celebratum fuit annis nonnullis, postquam Sacra Euangelia scripta iam, & publicata erant, præsertim Matth., Lucæ, & Marci, videlicet post quatuordecim annos à conuersione Pauli, vtì constat ex eius Epistola ad Galatas 2., in qua cum ad calcem capitis primi retulisset suum primum aduentum in Hyerusalem post conuersionem; Caput secundum inchoat dicens: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendit Hyerosolymam cum Barnaba assumpto & Tito: Prima namque vice iuit ut videret Petrum, id est tribus annis post suam conuersionem, dum Concilium nondum erat celebratum: cum ipse dicat: neminem vidi Apostolorum, nisi Petrum, & Iacobum: Accessus igitur ille post annos quatuordecim fuit occasione illius Concilij: Cum itaque eius conuersio contigerit anno trigesimo sexto Christi nati, vtì supponitur numeratis annis tribus, dum prima vice ascendit videre Petrum, & postmodum quatuordecim, dum iterum ascendit, sequitur Concilium, cui adstitit, non fuisse celebratum, nisi anno quinquagesimo, vel sequenti: dicere ergò, vtì Mater de Agreda ait, quod in illo Concilio fuerunt designati quatuor Sacri Euangeliæ, & quod postmodum S. Matthæus suum Euangelium scripsit anno quatragesimo secundo, S. Marcus anno quatragesimo sexto, & S. Lucas anno quatragesimo octavo, quid falsius; quæ maior contradicitione?*

quæ

qua fictio maior hac revelatione?

- 99 Respondetur à num. 191. usque ad 198. inclusuè, hoc nimirum fundamentum ad effectum, de quo in præsenti, impertinens prorsùs esse; versatur namque vnicè circa controuersiam inter Annalistas, & Historiographos in assignandis temporibus, & annis, quibus celebratio Concilij Apostolici, aliaque quamplura, que ex Sacro Textu contigisse constat, facta sunt, hisque cum ipso conciliandis, super quæ tanta est opinionum varietas, ut meritò dici possit, quot capita, tot sententie, vñi dicitur, & persuadetur pag. 319. num. 191. quoniam itaque inter varias opiniones ibi, & num. seqq. relatas non levius nota authorum sententia citatur, Concilium, de quo in præsenti, non post annos quatuordecim à Pauli conversione Hyerosolymam ipsum ascendisse in id Concilium, istudque celebratum, tunc, sed antea anno nimirum quattuagessimo secundo à Nativitate Christi, idque cordatissima Chronologia authoritatibus, & rationibus ionixa conformius esse Sacro Textui persuadetur à num. 193. usque ad 197., vt videre est, negari nequit probabile, si non certum esse, Concilium præfatum longè ante annos quatuordecim Conversionis Pauli fuisse celebratum, ac per consequens, non prius quam illud celebraretur, quatuor Evangelistarum designacionem factam fuisse, & multò minus Sacra Evangelia scripta, & publicata; quod sufficit, vt narratio desuper Ven. nostræ Abbatissæ immunis à nota falsitatis permittatur, ex dictis, & probatis clas- se II. præsentis Responsonis ad Observationem X.

### O B S E R V A T I O . XXV.

Pag. 323. num. 199. super verba num. 566.

Quibus assertitur, quod postquam Apostoli è Hyerusalem fuerunt egressi, Euangelium prædicare in varias Mundi partes Maria San-ctissima Angelis suis mandauit, ut sibi de his, quæ ab Apostolis fiebant, certiorem ipsam facerent, vñi. Et quandò vestibus opus ha-berent.

- 100 Opponitur hanc narrationem non concordare cum scientia, quam Mater de Agreda Beatissimæ Virginis adscribit, Angelos etenim monere, vt ipsam certiorem facerent desuper, ea ignorasse aperte colligitur. Præterea constat S. Paulum indigentiam vestimenti multoties passum fuisse, immo, & aliquando nuditatem, vt ipse met fatetur ad Corinth. 1. c. 4. si itaque vera esset narratio Matri de Agreda, necesse erat dicere, aut quod B. Virgo immemor fuit Apostoli Pauli, aut quod Angeli negligentes fuerunt in ea monenda super vestimento illi deferendo, pro nuditate cooperienda, quod in derisum, vel etiam blasphemiam in eamdem Virginem cederet.

- 101 Respondetur pag. 323. num. 202., & quidem quantum ad primum, quia tota oppositionis vis stat in concilianda scientia emineottissima; qua Beatissima Virgo in Deo cognoscebat (vt ipsa Ven. Author sub num. 566. ait) quidquid Apostoli per vniuersum Mundum dis-persi faciebant cum ordine, quem Angelis suis imposuit, ipsam-

monerent de his , & pr̄cipue de vestimentis, quoties eorum egerebant, id facile conciliari , & saluari absque ulla contradictione nonnullis exemplis comprobatur pag. 334. num. 204. Pr̄terea & si Angelica desuper relatio à B. Virginē imposta absolutè simili cetera necessaria eidem non erat ob eminentem eius scientiam, eam tamen habere voluisse medio illo Angelico , superfluum non fuit, & minus in derisum , & blasphemiam cedens , vti exaduerso ( in aduententer sanè dicitur ) quinimò congruum , vtile , & laudabile , ut nimis Angeli partem sollicitudinis Reginæ in beneficium , & solatium Apostolorum haberent, rationem reddentes de his , quæ de eiusdem Commissione exequerentur .

102 Quantum ad secundum , supponit Ven. Author , quod Maria Santissima, que velut Mater Familias post Christi Filii Ascensionem in Cælum remanserat , curam in se vigilem recepit prouidendi Apostolis de omnibus necessarijs , pr̄sertim de indumentis uniformibus in forma , & colore , lanamque ad id proprijs manibus operabatur , piè credibile est ; erat enim mulier illa fortis , de qua Salomon iuxta Sacrorum Interpretum intelligentiam dixit : *quæfuit lanam , & operata est Consilio manuum suarum :: manus eius appr̄ahenderunt fusum , omnesque Domestici eius vestiti sunt :* exinde Rupertus Abbas *Vestiariam* non immerito eam appellat . Cuius autem generis essent vestimenta , de quibus prouidendis Apostolis curam in se susceperebat , si verba Ven. Scriptricis obseruentur , alia non fuisse , quam Tunicas contextas , easque omnino uniformes inter se in forma , & colore , atque similes illi , qua Santissimus eius Filius ab eadem prudentissima Matre consecra toto vitæ suæ tempore usus fuit , perspicuum est , vt sic adeò prudentissima attentione ( vti ipsa Ven. Author pr̄uenit ) omnes uniformiter induti incedentes vitam , & Doctrinam sui Magistri , etiam habitu exteriori prædicarent , & velut eius Discipuli idem institutum profientes agnoscerentur . Id quod procul dubio congruentissimum , pièque credibile esse , haud negari posse videtur .

103 Hanc etiā curam maternam habuisse circà Apostolum Paulum piè etiam est credibile , quin ex eius verbis supraadductis , quibus aliquando nuditatem passum fuisse fatetur , oppositum inferri valeat legitimè , aut B. Virginem eiusdem desuper immemorem fuisse , aut Angelos negligentes : non enim Apostolus intelligi debet , nec licet de omnimoda nuditate , etiam quoad tunicam interiorem , sed de nuditate alterius indumenti , quo , frigoris causa , vti solebant Apostoli , non pertinentis ad formam habitus proprij instituti , & quo ipsorum Magistrum usum fuisse super Tunicam inconsutilem ex Sacris Euangelistis apertissimè constat : non ergo nuditas , quam passum fuisse quandoque Apostolus fatetur , intelligi debet de omnimoda nuditate etiam tunicæ interioris , itaut nudus paenitus incessisse præsumatur . Pr̄terea nendum Paulum , sed , & alios Apostolos nuditatem , siue indigentiam indumenti , quandoque passos fuisse , credibile est , tunc igitur piissima Mater curam , quam in se susceperebat , illis subueniendi de vestimento , siue tunica uniformi impeudebat , non autem ea , qua opus non habebant ; aliter enim non faci-

*De Observationibus super tertiam partem.* 161  
facilè prouideri valerent de indumento uniformi in forma, & colore.

## O B S E R V A T I O XXVI.

Pag. 324. num. 205. *super verba illa.*

Quibus adstruitur, quod Maria sola manens in suo Oratorio fine vitæ suæ imminente, in terram se prosternens, eamque velut Matrem communem amplectens, sic affata est: Terra, quas tibi debeo, nunc refero gratias, quoniam sexaginta septem annorum tempore, me immeritam sustentasti; tu quidem factura es dilecti mei, & pro sua voluntate hucusque me conseruisti. Rogo te, ut me adiuues, quandiu Ciuis, & Incola tui ero, ut quemadmodum in te, & de te condita sum, sic etiam in te, & per te ad optatum finem visionis Creatoris mei perueniam: Conuersa deinde (prosequitur) ad alias Creaturas, easque alloquens dixit: Cæli Planetæ, Astra, Elementaque potenti Dei manu creata, Testes Fideles, Praeconesque suæ magnitudinis, & pulchritudinis, gratias etiam vobis rependo, pro eo, quod in me actuosa vestra virtute effecisti ad vitæ meæ conseruationem. Denudò igitur me iuuare ex hac die: Ego enim gratia fauente meliorem eam facere curabo temporis spatio, quod in eius curriculo reliquum est, ut meo, vestroque Creatori grata, acceptaque inueniar.

104 Opponitur ab Authore quartæ Censuræ nonnulla super hæc verba adnotando, ex illisque horrenda sane, & quæ solum audire, ut ipsemet inquit, intollerabile prorsus est, inferendo. Primo quod B. Virgo, iuxta narrationem Matri de Agreda, in terram corruiens eidem, Cœlis, nec non Astris, & elementis gratias rependerit, eo quod ipsam sustentariint: quod prorsus est intollerabile: gratiarum namque actio principaliter tendit in affectum benefactoris, qui gratis beneficium elargitur; quem igitur affectum in terra, Cœlis &c. Maria attenderat, cum nihil gratis exhibeant; secundo notatur, quod ipsas creaturas Maria rogauerit, & ab eis auxilium requiserit; quod plusquam absurdum est; oratio namque alicui iuxta Diu. Thomam dupliciter dirigitur, vel quasi per ipsum implenda, vel quasi per ipsum impetranda: Primo modo soli Deo dirigì valet: secundo autem solis Angelis, & Sanctis: Si igitur Beata Virgo Creaturas inanimatas rogasse dicitur, ut earum precibus auxilium ipsi impetrarent, absurdum est grande. Tertiò, & quod peius est, si obseruetur, quod petitur, nempe adiutorium ad mores in melius dirigendos, ad maiorem Dei gratitudinem, & illis mediantibus ad visionem beatam consequendam, quod B. Virginis tribuere stultissimum est, immo & error enormissimus Quartò tandem, & quod intollerabilius est, prosternatio est B. Virginis, adhæsioque Terræ, gratias ei redditis, atque rogantis ut supra; Id etenim actum cultus, & venerationis indicat in Sacris Scripturis velut Idolatria damnatum, & reuerâ, si nos videremus B. Virginem in terra prostratam, eique adhærentem, taliaque alloquenterem, atque gratias ei, ut & Cœlis, Astris, Elementis rependentem, quid aliud iudicare possemus, quam adorationem Creaturæ

- turis exhibitam, atque Chinensem Idolatriam?
- 105 Respondetur pagin. 326. à numer. 210. usque ad 215., modòque in responsonem verba S. Augustini præmittuntur aptissima Neque enim ( inquit Tract. 18. in Iean. 12. ) natæ sunt hæreses ( neque imputantur dicimus & nos ) nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis intelligitur non benè, temerariè afferitur: Idem apud Lauræm par. prima tom. 8. in 3. Sententiar. disput. 7. non potest error oriri ( imputari ) palliatus nomine Christiano, nisi à Scripturis non benè intellectis, & hoc ideo, quia antecedentia, & consequentia non contulerunt.
- 106 Velut indignissimum (stultissimum), & quod maius, peiusque est, velut error enormissimus Idolatriæ Chinensis existimatur factum. B. Virginis ab eius Famula recensitum, & hoc ideo, quia eius narratio non benè, sed extortè, falsa suppositione, violentaque intelligentia sensus genuini usurpatum. Præmiserat ipsa Ven. Author numer. 699.: Legationem ex parte Beatissimæ Trinitatis per Sanctum Archangelum Gabrielem, qui Mariæ ounciaret mortaljs suæ vitæ finem, & initium immortalis imminere, sicut etiam n. 700. humiliissimam responsonem, quam ipsa eisdem terminis in annunciatione ab eodem Angelo dedit dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum*, gratias necnon, quas eadem reddidit pro tanto, tamque grato nuncio, Angelos inuitans, ut ipsam adiuuarent desuper, simulque Altissimum rogarent, dignaretur ipsam præparare ad transitum ex hac mortali ad æternam vitam.
- 107 His præmissis, quæ cor quantumvis adamantium haud emollire nequibunt numer. 701. prosecuta Dei Famula verba præcitata, quæ Beatissima Virgo terræ inhærens eam alloqueos, & alias creaturas protulit, refert, quæ si pius obseruator perpendisset, nedum ab adeo acri Censura sese continuisset, sed potius admirationis, & teneritudinis fructum ex eis collegisset, vt pote non aliud, quam profundissimæ humilitatis, gratitudinisque protestationem, ad nostram instructionem continentibus, non ergo ea pia attentione. Censor obseruavit, & ideo tot horribilia exinde intulit ex falsa suppositione, sinistraque intelligentia, quæ apparebat ex eiusdem verbis hisce: *Si modus iste loquendi Beatissimæ Virginis Mariæ ad terram, Cælos &c. velut per figuram dictam apostrophe sumatur, vt aliorum moueret affectum, suumque proprium exprimeret, nihil dicendum haberem, cum satis sciām Sacram Scripturam ea figura sèpè sapientius vti: obliquescite Cæli super hoc: audi Cælum, & auribus percipe terra: Rorate Cæli desuper, & nubes pluant Iustum; Si deinde per Terram, Cælos, Astra &c. intelligeret ( Scriptrix ) Creatorem, parum dici posset, sed non ita esse, quisque agnoscet: loquitur enim de illis, velut de rebus creatis.*
- 108 Ecce falsam suppositionem, sinistramque intelligentiam, ynde tot horribilia inferuntur, quod nimirum Beatissima Virgo iuxta narrationem Venerabilis Scriptricis non Creatorem, sed Creaturas allocuta dicatur, eis vt talibus gratias agens, atque auxilium ab eis requirens: quis enim non videt, quam falsa sit hæc suppositio, quam extorta, sinistraque intelligentia, ac per consequens iniusta subillatio? Si verba prædicta Beatae Virginis Terram, Cælum &c.

alloquentis obseruentur, non enim terram ver: gra: vt pote Creaturam, sed vt facturam potentis manus Dei de eius voluntate destinatam ad vitam omnium nostrum conseruandam, nec similiter Creaturas alias allocuta est, nisi velut Testes fideles, ac Præcones Dei magnitudinis, & pulchritudinis, vt ex verbis ipsius expressissimè constat: neque aliter nisi notoria violenta intelligentia usurpari valet huiusmodi allocutio, sicuti & Textus exaduersò citati, aliquae innumeri, in quibus similes allocutiones, invocaciones, & prouocationes Creaturarum in laudem Creatoris passim inueniuntur, & præcipue in Psalmis Dauid: tum incipiente: *Benedicte omnia opera Domini Domino, tum Laudate Dominum de Cælis.*

- 109 Aptissimum præterea adducitur exemplum pag. 214. ex cap. Iob. i. v. 20. quo dicitur: *surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite ruens in terram adoravit: & v. sequenti: nudus egressus sum ex utero Matris meæ, & nudus reuertar illuc: sit nomen Domini benedictum:* Nunquid (Censorem pacificè alloquimur) numquid, inquam, hic modus loquendi indignus, stultus, absurdus, enormis putandus est? absit; vers. namque 22. additur: *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* Nunquid eo modo, & facto, quo corruens in terram adoravit, eamdemque amplectens velut Matrem suam, unde fuerat egressus, appellans, & in cuius itidem sinu erat reuersurus, velut error enormis Idolatriæ Chinensis existimari poterit? absit etiam, sed dicendum sanè usum fuisse multiplici verborum tropho, cum in terram corruens, eamque adorans, & amplectens, se inde egressum dixit, atque illuc reuersurum, idemque terræ adhærens Matrem suam vocare, uterumque tribuere non dubitans: non enim Maternum uterum introitum dicere potuit: *quomodo potest homo nasci, cum senex sit?* nunquid poterit in uterum Matris suæ iteratō introire, & renasci? dicitur Ioan. 3. v. 24.

## O B S E R V A T I O XXVII.

Pag. 329. num. 216. super verba num. 730.

Quibus Beatissima Virgo introducitur dicens: *Inter omnia beneficia, quæ Deus fecit, & facit continuò Ecclesiæ suæ dilectaæ, non minus sanè fuit me in ea reliquisse post admirabilem Filij mei Sanctissimi Ascensionem in Cælos, ut eam regerem, & plancarem præsentia, & meritis meis: Unde ex tunc deinceps Ecclesiam in meam habeo: Dominus etenim eam mihi donauit, curamque eius velut Matrem, ac Dominam habere commisit.*

- 110 Opponitur: quod modus iste loquendi Doctrina sit scandalosus: post iteratam namque ponderationem huiuscmodi Dominij, regiminis, ac Magisterij Ecclesiæ, adiungitur hosce titulos non otiosos, & inutiles in Maria fuisse, sed eos omni cum perfectione, & convenienti gratia singulos exercuisse, ad idque omnem opportunam, & necessariam intelligentiam habuisse: *Quis itaque (arguit Censor) non credet iuxta hanc narrationem B. Mariam verè Ecclesiam*

gubernasse, de illaque, velut de re propria, disposuisse, & egisse? arguit ulterius: Postquam per totum operis discursum Mater dicitur Agreda simplicem Lectorem imbuit de hoc suo cogitatu, in eius fine unico paruo parenthesi duo dumtaxat verbiuncula adiungit, quae praefatos titulos poenitus destruant dicens: *sua intercessione gubernandam a Spiritu Sancto, qui eam ( Ecclesiam ) recturus erat ad finem usque Mundi*: qui itaque non bene percipit, ut personae simplices vim duorum eorum verborum, decipietur certe credendo, quod B. Virgo vere Ecclesiam regebat, ac dirigebat, quod reuerata artificium est, ne dicatur heres ex una parte, & ex alia ad eam Personis Idiotis refundendam: nec modus est iste libros scribendi ( concludit ) centies absque ullo correctio errorem proferre, & una sola in parte unico verbo correctionem apponere, idque in fine operis voluminum, ut si quis non omnia percurrat, hereticus euadat.

- III Respondet pag. eadem num. 221, non qua opus sit: qualiter etenim Maria Sanctissima velut Mater, Domina, & Magistra Ecclesiae ipsam post Sanctissimi Filii sui ascensionem in Caelos rexerit, direxerit, & instruxerit, vicesque eius gesserit, quin inde sequuntur, nec sequi, sive colligi possit caput visibile eiusdem Ecclesiae suisse, abunde ostensum fuit clas. secunda Positionis sed dictae art. 2. sub titulo: *de dignitate Virginis Fidelibus a Christo commendata* §. unico, Articulo 3. sub titulo: *de eiusdem Virginis cum Filio proportione ad magisterium* §. unico, & art. 5. sub titulo speciali: *de Magisterio Virginis in primitiva Ecclesia*: §§. tribus & Articulo 6. sub titulo: *de visibili Capite Ecclesiae* §§. duobus: quoniam itaque nulla in praesenti adiungitur difficultas, quae locis citatis poenitus euacuata non sit, ab ulteriori responsione supersedemus, ceterisque discursibus de artificio, vel heresi exaduerso contra praeciatam Doctrinam obiectis, ut pote liberis, futilibus, satisfacere prætermittimus.

### O B S E R V A T I O    XXVIII.

Pag. 330. num. 222: super verba num. 743.

Quibus plura Miracula, & prodigia narrantur in morte Beatae Virginis facta, quod ni-nirum sol Ecclipsim passus est, lumenque suum per aliquot horas suspendit, quod ad eadem Cenaculi diversi generis aves conuolarunt, plantum suum, languore tristis manifestantes, quod commota fuit omnis Hierosolyma, & plurimi rei stupore moti illuc venerunt Dei potentiam, & magnitudinem in suis operibus libera voce confitentes, & quod summi miraculi est, eodem momento, quo Dei Miter expirauit, vir quidam, & duæ feminæ domui Cenaculi valde vicinæ in peccato mortali impenitentes obierunt damnationis sententiam promeriti: sed enim ubi eorum causa ad Christi Tribunal fuit delata, dulcissima Mater misericordiam petit, & obtinuit, ut ad vitam redirent, quam postmodum ita emendarunt, ut in gratia defuncti salutem aeternam consequerentur, quod beneficium non fuit uniuersale aliis hominibus, qui vita fuerunt functi in toto Mundo.

Oppo-

112 Opponitur : quod totum hoc Sacri Scriptores silentio prætermisserunt.

113 Respondetur pag. 331. num. 221 argumentum huiuscmodi ut propter negatiuum nullius esse momenti ex sè pè sèpius dictis, sed præcipue ex adductis in Positione principali class. 3. art. 7. §. unico, vbi ex Sacris Doctribus, & Ecclesiasticis Scriptoribus antiquis ultra modernos, qui adduci possent de transitu Beatissimæ Virginis, de hisque, quæ in illo acciderunt, tractantes, siue piè in dittantes, non tam ea miracula, & prodigia, quæ in specie Ven. Author nostrâ contingisse narrat, sed quamplura alia fuit probatum; circa id autem, quod additur, & veluti summum Miraculi Locum tenens animaduertitur, id sumnum, & stupendum fuisse fatemur, sed piè credibile de potentissima Deiparæ intercessione in illo maximè momento, quo eius purissima anima ad dexteram Sanctissimi Filij sui gloriæ inammissibilem possessionem acceptura accessit, non autem adeò singulare, quod simile non legatur factum in historijs de Vitis Sanctorum; & porrò in eodem genere rarius, immò attentis circumstantijs inauditum à Ven. Dei Famula peractum ex Processu Apostolico extractum ponderandum proponitur pag. 332. num. 227.

### O B S E R V A T I O V L T I M A.

*Super nonnullis, quæ velut excessus Matris de Agredi de Sanctissima Deipara adnotantur.*

Nonnulla tandem ab Authore quartæ Censuræ, velut excessus Ven. nostræ Abbatissæ zelo vindicandi Vitam Beatissimæ Virginis ab his, quæ ipsam deturpare existimat à num. 214. usque ad 246. adnotantur, sed quoniam his quasi omnibus satisfecisse, singulatim per discursum præsentis responsonis putamus, ulteriore adducere superfluum est; quod si alias SS. Patres, Doctores Marianos, piosque Theologos Censor consuluisset, maiora sanè etsi balbutientes de B. Virgine protulisse, minusque esse, quidquid Ven. nostra Abbatissa refert, procul dubio inuenisset; sat tamen sit unum vel alterum producere, sitque in exemplum; velut excessus nimius putatur modus, quo Dei Famula varijs in locis ab eodem censore citatis num. præsertim 217. loquens de scientia, & sapientia B. Virginis, superexcedentem omnium tam angelorum, quam hominum scientiam depingit; sanctus in primis Anselmus homil: super cap. 10. Lucæ habet: Christus, ut ait Apostolus, Dei virtus est, & sapientia, & in eo sunt omnes Thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei, & Christus est in Maria: ergo omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei sunt in Maria: S. Bernard. in cap. 12. Apocalip. Dei Sapientia est (alloquitur Mariam) & in qua omnes Thesauri Sapientiæ sunt: Riccard. à S. Laurentio lib. 2. part. 2. ipsam etiam alloquens ait: elegantissimum Diuini verbi volumen es, tu sceptrum rectæ Doctrinæ, tu à scientiarum splendore, & plenitudine Thronus Cherubicus: Ven. Amadeus in Bibliot. Virginiali, ut videre est Tom. 2. sub lit. B., B. Virginem omnes scientias in particu-

ticulari in gradu supereminenti habuisse etiam à principio ex ore Angelorum asserit, sed ut quid immoramus desuper? sufficiat elogium, quo à Sancta Ecclesia, & omnibus Fidelibus cum ipsa Maria salutatur: *Sedes Sapientiae*: non ergo quid nimis est, sed minus quidquid Ven. Author de Scientia, & Sapientia infusa Beatissimæ Virgini scribit; atque ita discurrendum est de quibuscumque alijs exaggerationibus Ven. nostræ Abbatissæ, quæ velut excessus à Censore existimantur, idque gratis, & absque ullo fundamento.

**114** Concludimus itaque piissima illa maxima Marianæ Doctoris de Christo Domino, eiusque Santissima Matre respectuè inteligen-  
da: *In commendando Christum Dominum* ( eiusque Santissimam Matrem ) malo exceedere, quām deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere: cui etiam adiicimus non minus piam illam Petri Cellensis de Panib. c. 21, quidquid de Maria dixeris ( intellige excellentiæ, & perfectionis ) infinitè mi-  
nus est dignitatem Matris. Mallem enim ( dixerat ipse à principio adductus ) non habere linguam, quām aliquid dicere contra Domini-  
nam, aut eligere in potius non habere animam, quām eius gloriam extenuare: multūm quippe eius gloriam extenuat excessum nimium putans quidquid de illius Scientia, & Sapientia, alijsque præroga-  
tiuis à Ven. nostra Abbatissa scribitur: Mariam veram Dei Ma-  
trem esse, ac dici Nestorius negabat, quia sibi videbatur excessus nimius puram Creaturam eleuari ad dignitatem veræ Matri Dei. Si ergò minus est quidquid de ipsa dicatur ex dignitate, non velut excessus putandus est, sed longè minus.

### Conclusio finalis ex omnibus obseruati- onibus, siue difficultatibus denuo excitatæ deducta.

**115** **E**T si non èadem forma, ijsdemque terminis Iudicium de histo-  
ria præsenti sub titulo *Mystica Ciuitas Dei*, ex quadruplici  
iterie Censurarum appareat, omnium in id potissimum collimat,  
quod ea historia nec fuerit, nec dici valeat Diuina reuelatione  
conscripta, nonque propterea permittenda, sed abicienda, &  
reprobanda: quibus tamen adeo severum Iudicium innitatur mo-  
tiuis, ultraquamquod extra messem, scopum & munus Reuisorum  
id esse ex dictis, & stabilitis à principio, si obseruentur ea omnia  
motiva nedum insufficientia, sed & insubstientia palam appare-  
bit, prò compertoque constabit id, quod ab initio quoque dictum  
est, nimurum quod præfatæ obseruationes prætermisso germano  
stylo censurandi Doctrinas assertas præcipue ex Diuina reuelatio-  
ne aliud non exhibent, quām sæpe numero nudum Textum Ven.  
Authoris, & hunc frequentissimè trucidatum, absqueulla qualifi-  
cationis nota, vt visum est, rarissimè autem ratione in aliquam po-  
sitivam apparenter saltim concludentem propositionem recitatam  
dignam Theologica Censura, sed vel negatiuum quidpiam de no-

constare, siue de alto silentio in Sacris Scripturis, traditionibus, SS. Patribus, vel Doctoribus, siue argumentationes varijs subtilitatibus, ac discursibus proflus liberis conceptas, vel si aliqua rarissima tamen obseruatio difficultatem continere videatur, nullius, vel apparentis momenti esse.

116 Ut igitur haec amplius clarescant, fundamenta, quibus adeo rigidum Iudicium innititur, et si non adamassim, compendiosè tamen, prout in fusori, acriori obseruationum serie, quarta videlicet (reliquæ priores minus fusæ, & rigide, sed magis mites, & piæ sunt) continentur, in medium producuntur, ut appareat, quam absque opportuna debita pietate, rationeque adeo famigerata in toto Orbe Christiano historia abijcienda, ac reprobanda iudicetur, atque ipsa S. Sedes rectissima, piissima, & prudentissima semper in suis Iudicijs videat, ac discernat, vtrum deceat apud ipsam huiusmodi motiva, hisceque argumentis, atque terminis, quibus evaderentur, proponere, ac excitare? Num præterea ex ipsis quidquam resultet, quod legitimè, prout de iure impedire valeat cursum Causæ Beatification., & Canonization. Ven. Abbatissæ, & Authoris à tot annis ad aperitionem usque Processus Apostolici introductæ, varijs benignissimis Summorum Pontificum Decretis qualificatæ resultet, vtrum nempè in historia error aliquis contrà fidem, vel contra bonos mores, vel doctrina aliqua noua, & peregrina, à sensu, & consuetudine Ecclesiae positivè aliena contineatur? Ad hoc enim, ut etiam à principio stabilitum est, vnicè negotium præsens iuxta leges, Decreta, proximque eiusdem S. Sedis reducitur.

117 Zelum vidimus, ac notauimus in præfatione generali ad præfatam quartam seriem, eò tendentem, ut fideles remoueantur à lectura, piaque etiam fide historiæ vitæ Beatissimæ Virginis à V. Matre de Agreda descriptæ, eaque vindicanda à quampluribus propositiobibus ipsam deturpantibus, quarum quedam, ut dicitur, videntur erroneæ, aliæ temerariæ, aliæ malesonantes, aliæ scandalosæ, aliæ falsæ, plures etiam narrationes, quæ videntur somnia, figmenta, chimeræ, tribuuntur etiam B. Virginis dicta, vel facta dissonantia, stulta, ridicula, & indigna; Zelum, inquam, hunc vidi mus, & notauimus, pium sanè, & laudabile, si quidpiam ex his, quæ in adeo inaudita vñquam contra Catholicæ vñllius scripta censura adnotantur, probatum positiuo aliquo fundamento appareret: an autem id perpensis hinc argumentis exaduersò, indè responsionibus datis conuincatur, rectissimo Iudicio eorum, quibus hoc negocium commissum est, humiliter submittimus, ut enim verò finale Iudicium desuper efformetur, finalē conclusionem zelantissimi quartæ Censuræ Authoris considerandam exhibemus temporis sequentis in summa.

118 Transcurrimus (inquit num. 247.) iam totam historiam Matris de Agreda, omissentes plures ineptias, stultias, falsitates, & alia, quæ etiam sunt reflexione digna, quorum nonnulla tamen extracta nudata vero à Spiritu, & mente Ven. Authoris, immo & à substantiali narratione eventuum principalium, siue Mysteriorum, quorum sunt circumstantia, adnotantur: haec inquam, aliaque

innumerabat) omittio: non tamen omittere volo examinare breviter principia quædam, quibus se præualet Mater de Agreda. Primum est, quod Mariæ Sanctissimæ concedendum sit, quidquid alijs Sanctis concessum legitur. Secundum: Deus in elargiendis Donis, gratijs, ac priuilegijs eidem Beatissimæ Virgini operatus est absque mensura, & limitatione aliqui intraspberam puræ Creaturæ. Tertium: Eadem concessit quidquid potuit, & dare potuit, quidquid non est non esse Deum. Eaque propter nullus fauor, siue beneficium quantumvis magnum negari ei debet, nec potest. Quartum: solum negandum est ei quod in se manifestam contradictionem inuoluuit.

**119** Quatuor hæc principia falsa omnino esse Censor probare conatur, & incipiendo ab hoc ultimo, cuius falsitas notior est ( inquit ) falsissimum esse, & absurdissimum tribui deberi B. Virginis quocumque beneficium, ac priuilegium, dummodo in se manifestam contradictionem non inuoluat: tum quia si contradictionem in se includit, et si manifesta, evidensque non sit, reuera impossibile est à Deo fieri, & concedi, tum plura sunt, quæ nec manifestam, nec occultam implicantiam in se continent, quæ tamen B. Virginis non conceduntur, ut exempli gratia, uno hypostatica eiusdem cum aliqua persona Diuina, quod Viatrix, & comprehensrix simul sit, ut Christus fuit, quod Dignitas Sacerdotalis ei fuisset concessa, aliaque similia: non ergo sufficit, quod non sit manifesta contradictione, ut concedatur B. Virginis aliquod beneficium, siue Donum, sed requiritur, quod eius statu, sexu, & conditioni expediatur, sitque necessarium sibi, vel alijs.

**120** Tertium non minus falsum est ( inquit ) nam loquendo de gratijs, Donis & fauoribus, non quidquid Deus concedere potest Creaturæ, concedit, id enim est absque termino, sed dumtaxat id quod unicus expedit, iuxta statum, gradum, & ministerium, ad quod destinatur, omne itaque Beatissimæ Virgini Deus concessit, quod ad statum, dignitatem, & munus Matris solum expediens erat.

**121** Secundum pariter falsum est; nam Sacra Scriptura loquens de Deo ait: *omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti*: sicut itaque gratiæ, Dona, & fauores Mariæ eximi nequeunt à Diuina Prudentia, & dispositione, nec à numero, pondere, & mensura; vtterius Christus de se dixit: *non enim ad mensuram dat Deus, Spiritum Filio suo*: nisi ergo Matrem & qualem Filio facere vellimus in Donis gratiæ, necesse est dicere, quod Deus ei in mensura dedit, quæ concessit.

**122** Circa primum oportet distinguere ( notat Censor ) aut enim est sermo de gratia sanctificante, Donisque Spiritus Sancti, aut etiam de virtutibus infusis, aut etiam de gratijs gratis datis? si primo modo, quisque confitetur B. Virginis plures gratiasuisse concessas, quam omnibus Sanctis. Si secundo, etiam certum est de illis in gradu eminenti participasse, sed non omnium usum habuisse; non enim publicè voce, vel scripto docuit, nec miracula fecit. Præterea de fauoribus extraordinarijs loqui possumus in genere, vel in specie, formaliter, vel eminenter. Si dicatur B. Virginis solum

lum concessum eminenter quidquid alijs sanctis fuit collatum, aut aliqua Dona eminenter, & in genere, alia vero formaliter, & in specie, nihil aliud superaddendo, principium illud inutile propositum est, quia non explicatur qualia Dona formaliter, & in specie, qualia vero in genere, & eminenter habuit concessa.

**123** Respondeatur pag. 343. à num. 26. usque ad 56. inclusuè, modò que ad restrictum responsio reducetur, prius tamen animaduertere oportet prefata quatuor principia, aliaque huiusmodi, quibus abundat historia, non adduci à Ven. Dei Scriptrice, nec ipsis insistere, ut à Censore putatur, ad probanda ea, quæ in illa reservat, sed ad conciliandam, siue facilitandam in audiencebus piam credulitatem, ut ipsa non semel præuenit, & præcipue verbis ex part. 2. c. ultimo extractis, ac relatis pag. 343. num. 27. quibus quippe unum supponit, & aliud firmat; quod supponit est, ea omnia, & singula, quæ in sua recenset historia, non per discursus, siue illationes, non ex principijs generalibus deduxisse, sed unicè ex Diuina luce dirigente, qua in ipso Deo res, & rationes, veritatemque certam cognoscebat: quod autem firmat, est rationes quasdam, siue motiva his, qui scripta sua audirent, vel legerent, opus esse proponere, quibus catholica prudens pietas induceretur circa id, quod obscurum, nouum, & inauditum forsan videretur, prouocaretur, siue piè credibile fieret, ut ipsa specialiter animaduertit verbis num. 1518. eiusdem secunda Partis numer. 28. relatis.

**124** Nec nouum id, & singulare profecto est in presentibus scriptis, sed satis frequens in Sacris Scripturis, SS. Patribus, Doctoribus, ac Theologis, priuaris nec non reuelationibus, in quibus omnibus rationes, siue argumenta inueniuntur, non quidem ad probandam obiectorum, siue eventuum existentiam, & veritatem, sed ad facilitandam piam eorum credibilitatem, ut probatur pag. 344. numer. 29. nec aliud nisi violenter inferri valet ex Textibus nonnullis eiusdem Scriptricis à Censore adductis à num. 256. usque ad 259. ad tuum Iudicium persuadendum, quod nimirum Mater de Agreda (verba sunt eius) cerebro suo apprehendit quatuor illa principia, non obseruans quid constet ex traditione, vel SS. Patribus, nec hoc, vel illud, quod fuit, vel est, sed id dumtaxat, quod potest, aut potuit esse magnum, nouum, peregrinum, inauditum, & extrauagans, idque in sua historia velut legitimè deductum ex principijs illis, tanquam certum inferuit: non inquam id, vel aliud simile, nisi manifesta violentia ex Textibus exaduersò citatis, licet inferre, ut alijs conuincitur pag. 345. num. 31.

**125** Hac animaduersione praicta quatuor principia non falsa, sed verissima esse, non ex cerebro Ven. Authoris, vt gratis exaduerso dicitur, sed ex Diuina reuelatione, vt piè creditur, discurrendo per singula, ad evidentiam usque conuincitur numeris præcitatibus, eò & maximè, si non mutilata, sed integra, vt iacent in originali hispanico in latinum versa, non extorta mente, sensuque genuino scribentis obseruentur: sic enim mirandum valde, quod in censuram velut falsi notentur: cum cæteroquin notissimum sit ea regulas esse, quas SS. Patres, Sacri Scriptores, ac Theologi omnes

communi calculo præscribunt, sibique præfigunt ad inuestigandum, & concedendum Beatissimæ Virgini, supposito ineluctabili principio supereminentis dignitatis Matri Dei, quidquid excellentia, & perfectionis simpliciter simplicis excogitabile, possibile, ue est in pura creatura inueniri, atque concedi, idque in superiori gradu respectu omnium creaturarum, Angelorum, & hominum simul, & collectiuè sumptarum, ac tandem quidquid in se, siue ex se, nec Sacra Scripturæ, siue principio aliqui, cui non licet contradicere, repugnat, manifestam contradictionem, siue indecentiam inuoluat, inuolueteque positivo aliquo fundamento concludatur. Hæc porro est idea generalis, conceptusue aliqualis, quem Sanctissima Deipara omnes SS. Patres, Mariani Doctores, pijke Theologi efformatum habent, quorum omnium authoritates, si in medium producerentur, interminabile quasi *volumen euaderet.*

### Conclusio finalis Iudicij operis exaduerso.

**126** **R**edeundo (concludit Author quartæ Censuræ) ad historiam Matris de Agreda, Pater Samaniego Ordinis S. Francisci in Prologo Galeato Operi præfixo dicit, quod tota ea historia conformis sit supradictis principijs, vnde infert veritatem illius, verè que factam fuisse ex Diuina reuelatione. Mihi tamen meliori ratiō cinio videtur posse, debereque inferri contrarium: loquendo namque de rebus extrauagantibus, id est non desumptis ex Sacra Scriptura, SS. Patribus, Historijs fide dignis, & bonis Authoribus, quæ in his libris continentur, si conformia sunt illis principijs talibus qualibus, à quo remoueri poterit suspicio, quod quidquid extrauagans in eis dicitur, deductum sit ex illis humano discursu, credat aliter. Ego credo quod id sit Spiritus propheticus, quo scripti sunt præsentes libri: apprehendit Mater de Agreda cerebro suo principia illa, non quod verum est, & fuit obseruando, sed solum quod potuit esse, & non includit manifestam contradictionem, indeque omne id imaginata est, quod de Beatissima Virgine, eiusque vita potuit esse, atque id apposuit in sua historia, velut legitimè deductum ex illis principijs tanquam verum: de alijs pluribus, quæ ex eisdem inferri nequeunt, aliquid dicere nescio, quam quod ex eius cerebro originem trahunt vnicè.

**127** Nemoque (ait) credo de temeritate meum hoc Iudicium incusabit si consideraret id, quod Mater de Agreda varijs in locis, parte præsertim prima num. 251. scribit dicens: verba prodocuntur, ubi & ea, quæ ex part. 2. & 3. extracta recensentur, pag. 338. num. 13. usque ad 16. ex quibus omnibus Censor infert dicens: modus hic loquendi non est Prophetæ, sed Oratoris, Logici, siue Scholastici, non est prophetare, sed arguere, atque per discursum deducere ex principijs illis, ut appareat, excellentias Beatissimæ Virginis. Non itaque ista sunt reuelationes, sed illusiones, & quidem vitiosæ: arguitur, siquidem de possibili ad factum: Deus nimirum potuit facere: ergò fecit, quod vitiosum est.

Audi-

128 *Audio* ( prosequitur Censor ) aliquos , & præcipue Patrem Samaniego dicentem , hanc historiam Spiritu Diuino fuisse scriptam , agnoscere ex eo , quod in legentibus deuotionem moueat , & excitet : Sed hæc probatio debilissima est ; nam plura in ea narrantur Mysteria Fidei nostræ , plures Doctrinæ Morales , & utiles , & ex his oriri potest deuotio , si in aliquibus forsan experitur , non tamen de rebus falsis . Continentur præterea occultæ allocutiones teneræ , & affectuosæ Virginis ad Filium , quin sint dictatae à Diuino Spiritu , vtì experitur ex huiusmodi rebus in alijs libris . Describuntur deinde plurimi actus heroici à B. Virginè exerciti , plura mirabilia ab eadem facta , quæ credita vt vera , causant deuotionem , admirationem , delectationem , ac teneritudinem : sin autem res extrauagantes , & portentosæ , quæ in hoc opere recensentur , in se ipsis considerantur , aptæ sunt potius non ad conciliandam , sed ad amittendam veram deuotionem , immo ad corrumpendam puritatem Fidei Catholice , miscendo Sacrosancta motiva , & Mysteria cum solemnissimis falsitatibus .

129 Si opponantur ( adiungit Censor pios suos discursus prosecutus ) examina facta de hoc Opere hominum in Doctrina præclarorum , quin in eo quidquam obseruauerint veritati Christianæ Religionis , sanæ Doctrinæ aduersum , vitam necnon Sanctam Matris de Agreda , quod omnem excludit suspicionem passiuæ deceptionis , nescio quid aliud dicam , sine ullius offensione , nisi quod ea examina facta non sint , aut quod eo admissio , nequeam non stupere , qualiter homines docti absque Censura , siue scrupulo ullo permettere potuerint prætensionem Matris de Agreda in exigendo assensum Fidei rebus omnibus , quas scribit , quod B. Virgo dixerit : *Si quis fidem non præstiterit his scriptis , mihi , meisque verbis iniuriam facies ?* quomodo approbare potuerunt , quod Personæ Diuinæ B. Virginem in consistorium euocauerint , & admiserint ? quomodo ( omnia quasi , quæ à Censore huc usque obseruata sunt , resumuntur ) quomodo deglutire potuerunt tot , tamque grandia absurdia , quin ea perceperint ? Aut ergo examina facta non sunt , aut profecto nimis mitia , siue superficialia fuere : aliud reuera Iudicium Theologi Romani fecerunt , compatiunt tamen : procedebatur etenim contra Sanctimoniale illorum Sororem , immo & Filiam Spiritualem .

130 Quantum ad vitam Matris de Agreda , illam in suo debito conceptu relinquo . Ipsam semper nominaui in his meis Scriptis , & contra ipsam semper locutus sum , non quod credam huius operis Authorem fuisse , sed quia eius nomine Typis fuit excussum ; qui illud extendit , aut conscripsit , homo erat quodammodo literatus : frequens namque usus ille terminorum scholasticorum , citationis opinionum Theologorum , et si suppresso nomine , computus annorum , concordantia temporum , atque reprobatio aliorum desuper , pertractatio adeo distincta de Cœlis , Astris , Planetis , & Mineralibus , atque de eorum numero , & qualitatibus . Illa , quæ apparet , Sacrae Scripturæ ex proprio cerebro expositio , opus quippe non est unius Feminæ , siue Personæ studio non deditæ . Illa deinde semper , & ubique adhæsio opinionibus Scotti , Scottistarum

fuisse Authorem demonstrat, atque ylo modo non tolerare aliquem esse, qui opinionem teneat contrariam immaculate Conceptionis B. Virginis, minas spirando in eum, non obstante, quod Summi Pontifices supranominati non semel, & Concilium Tridentin. vniuersusque libertati reliquerint unam, vel alteram partem, siue opinionem defendere, satis concludunt, Authorem fuisse Religiosum Ordinis S. Francisci, uti quedam Persona fide digna, constitutaque in dignitate mihi dixit illum cognouisse. **Contra** huius itaque Authoris scripta, quidquid dixi, intelligendum, non autem contra Matrem de Agreda, quæ nullius scientiæ studio vacauit.

**131** Dicent forsan Deum potuisse scientiam ei infundere, scio ( inquit Censor ) sed etiam scio Deum sese accommodare talento, & conditioni Creaturæ, quam alloquitur, & cui reuera regulet scribendum, stylum proportionatum ministrando, uti appareat in libris Canonicis Prophetarum, & in reuelationibus SS. Birgittæ, Catharinæ Senensis, Mariæ Magdalena de Pazzis, Theresiæ, & aliarum, quæ non sine speciali instinctu, Deique auxilio scripsero, modo tamen, & stylo simplici : : Dum in sola Matre de Agreda stylum Deus mutauit, uti appareat, qui igitur credere aliud velit, credat ; Ego ex me teneo Libros hosce compositos fuisse ab homine literato, sed argente ex principijs falsis supra relationis, & exinde ortum habent errores, & extraugantie, quæ visæ sunt.

**132** Sed iostat Pater Samaniego ( concludit Censor ) in suo Prologo, quod si non à Matre de Agreda, sed ab alio opus hoc fuit compositum, incredibile fit, quod ipsa vitæ sanctæ Religiosa falsò illud evulgasset velut proprium ; quantòque inuerosimile sit, quod, qui ipsum composuit, priuari vellet gloria tanti operis Authoris, alterique tribuere. Responsio facilis est, dicendo, quod huius operis Author necessitate præcisa fuit compulsus id alteri tribuere, & præsertim Matri de Agreda : volens namque describere res adeo nouas, & alienas, ac remotas à mentis cogitatione absque illa auctoritate, & quæ probari nequeunt, neque sciri nisi sola reuelatione Diuina, necesse habuit opus hoc apparere sub nomine Personæ, quæ fama reuelationum polliceret, uti tunc temporis erat Mater de Agreda, nisi Author vellet sibillorum plausum inuenire.

**133** Mater de Agreda, si fuit Religiosa deuota, & pia, facile potuit precibus, & merito S. Obedientiæ induci, vt historiam transcriberet manu propria, & sibi satisficeret, publicaretur sub nomine proprio, persuasa maximè, quod inde resultaret gloria magna Deo, & Beatissimæ Virgini, & quod totum opus conforme erat sæpedicitis principijs, super quibus non dubito fuisse instructam à suis Religiosis, ipsaque totum approbante, & obtemperante potuit in lucem prodire partus iste, eidemque tribui coluber tortuosus, cuius forsan innocens fuit, credula verò nimis aliorum dictis, & instructionibus assentiens : quidquid enim verò hoc vel illo modo contigerit, non mea interest, cui satisfuit demonstrasse, non posse à Deo reuelatum dici quidquid in hac historia continetur, uti mihi commissum est.

## *Conclusio finalis Responsionis.*

- 134 **V**ltimam præiactam quartæ Censuræ Authoris conclusionem, ad literam quasi producere placuit, non quidem ut eam, cunctaque singula in ea conteata refellamus, ea retulisse contenti, ac persuasi à discretissimis, & que ac piissimis Iudicibus, & vniuersis, ad quorum aures peruererint, ne dum velut importuna ad finem, siue effectum examinis commissi voicè iuxta stabilità à principio circà materiam, siue doctrinam in libris Ven. nostræ Abbatisse Mariæ à Iesu de Agreda contentam versantis, verùm etiam parùm pietati, veritati, ac Iustitiæ debitæ consona, atque plurimùm non sine aliquo scandalo famæ, & honoris læsiua, vnaque quasi falce succisua.
- 135 Tùm & maximè famæ publicæ constanti Sanctitatis vitæ, virtutum, & miraculorum insignium Ven. Dei Famulæ dudum à S. Sede approbatæ, dum auditur in facie Ecclesie, vtì vsum est, tùm quatuor illa principia, quæ regulæ sunt à Patribus, Doctoribus, ac Theologis præfixæ ad efformandum aliqualem, et si non plenum, vtpote impossibilem, de supereminentia B. Virginis conceptum, falsa esse, atque quidquid ex illis infertur, aliam originem non habuisse, quām Authoris cerebrum; tūm dum non ipsam Dei Famulam vtpote illiteratam opus composuisse, sed Virum quemdam, quodammodo literis imbutum, eumque Ordinis S. Francisci, qui volens describere res nouas, & extrauagantes à sensibus, & cogitatu remotas absqueulla authoritate, quæque alias probari nequeant, necesse putauit, quod hoc suum Opus in lucem prodiret sub nomine alicuius Personæ, quæ fama reuelationum polleret, quali tunc Mater de Agreda pollebat, ipsaque vtpote Religiosa pia, ac deuota ad preces, & meritum S. Obedientiæ induceretur, vt propria manu opus transcriberet, consentiretque, vt nomine suo publicaretur, persuasa id in gloriam Dei, eiusque Sanctissimæ Matris cessurum, sive ipsa approbante, & obtemperante in lucem prodiret partus iste, & eidem et si innocentissimæ tribueretur tortuosus coluber iste.
- 136 Tùm etiam Sacris Tribunalibus Fidei, supremo præcipue Hispaniarum, apud quod nedum Iudicium de Spritu, Virtutibus, scientia infusa Ven. Dei Famulæ medijs duobus eiusdem Sacri Tribunalis Commissarijs fuit efformatum, atque non sine admiratione auditis eiusdem responsionibus approbatum, vtì constat ex Processu Apostolico, verùm etiam prævia hac diligentia, quam adhibere rectissimum Tribunal illud necesse putauit, operis, siue historiæ authographum, de eiusdem mandato asportatum, & exhibitum velut proprium manu, & carathere Ven. Matris ex collatione cum alijs eiusdem Scriptis, & Epistolis recognitum, iuridicèque probatum, atque longo tempore quatuordecim annorum minutissimè ad lydium lapidem examinatum, ac tandem auditis tam verbo, quām scripto doctissimis eiusdem Tribunalis Consultoribus in Iudicio contradictorio legi impunè permisum fuit, dum pariter auditur adeo compertam veritatem examinis rigidissimi iuxta

- iuxta morem facti in dubium vocari, vel si factum fuit, id nimis mite, & superficiale fuisse, nonque eo rigore, quo factum est à Theologis Romanis ( nulla nimirūm præhabita in particulari notitia de Sanctitate Vitæ, Virtutum, & miraculorum Dei Famulæ, nec præ oculis habitis originalibus historiæ) atque non sine admiratione, quod homines docti tot, tamque grandia, tot, tamque falsas, erroneas, temerarias, scandalosas, & indignas Christo eiusque Sanctissimæ Matri propositiones, quot iuxta Censorem narrantur, deglutire, quin eas percepint, atque absque Censura, scrupuloue ullo permiserint, compassionem tamen digni, & excusabiles, eoque procedebatur contra Scripta Sanctionis eorum Sororis, immo, & Spiritualis Filie.
- ¶ 37 Tum varijs Locorum Episcopis, & præcipue Dei Famulæ Ordinarijs, qui eius Spiritum, & Doctrinam degostarunt, stupefesque probarunt, inter quos Doctissimus Escartin, qui Processum Ordinarium confecit, vñaque simul cum Scriptis compulsatis cum Autographo manu propria Seruatæ Dei ad curiam transmisit, vt constat ex grauissima eiusdem Censura in limine operis affixa.
- ¶ 38 Tum Seraphicæ Minorum Religioni tam in capite, quam in membris, eius Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, Confessarijs, necnon siue Directoribus Ven. Dei Famulæ, dum auditur similitè eos illam instruxisse, atque merito S. Obedientiæ induisse, vt manu propria opus transcriberet, atque consentiret, vt eiusdem nomine in lucem prodiret partus iste ( vel ut inquit Censor ) tortuosus coluber, persuasa, vtpote pia, ac deuota Religiosa, quod ad Dei gloriam, eiusque Sanctissimæ Matris cederet.
- ¶ 39 Tum quampluribus celeberrimis Vniuersitatibus, innumerabilibus Theologis tam Secularibus, quam Regularibus, quorum omnium Iudicia, approbationes, encomiaque Operis in Positione principali dispersa, & in fine velut propugnacula Mysticam Dei Ciuitatem munientia collecta dantur, vt videre est, dum auditur quoquæ non sine admiratione, & compassionem, quod tot homines docti deglutire potuerint sine censura, & scrupulo ullo, tot indigna, quæ narrantur in historia.
- ¶ 40 Tum plurimis Testibus tam in Processu Ordinario, quam Apostolico solemini iuramento deponentibus historiæ præsentis Authorem non alium, quam Ven. Matrem Mariam à Iesu de Agreda fuisse: tum vniuersis Christifidelibus, quotquot eam pio studio percurserunt, spiritus pinguedinem, ac cultus incrementum in Beatissimam Dei Matrem, miroisque affectus, & effectus ex eius lectura in seipsis experiti haud contineri valentes confitentur, dum auditor non sine ipsorum aurium offensione eam historiam non ad conciliandam veram deuotionem, sed ad amittendam potius, immo & ad corrumpendam puritatem Fidei Catholicæ deseruit, vtpote quæ sacrosancta motiva, & Mysteria cum solemnissimis falsitatibus miscet.
- ¶ 41 Tum tandem Sacr. Rituum Congregationi, quæ animaduertens post Processus Ordinarij examen, & approbationem, Apostolicæ aperitionem, præfatam historiam velut propriam Famulæ Dei exhibitam agnouit, examinandam tribus eiusdem Sacri Tribunaliis

lis Consultoribus in lingua Hispanica peritis demandauit, priusquam ad vteriora in Causa Beatificationis, & Canonizationis Authoris procederet.

142 Hec inquam omnia velut non conducentia, sed importuna prorsus ad effectum, sive finem, de quo agitur, parum Christianæ pietati, & iustitiae consona discretissimos, æquèque pijssimos Iudices, immo, & quotquot ea aure percepérint, non sine admiratione, & scandalo agnitos, iudicaturosque non dubitamus, vñ & cetera, quæ in præfata finali conclusione zelo vindicandi historiam Beatissimæ Virginis vitæ ab his, quæ iuxta historicam ejusdem descriptionem à Ven. Abbatissa Maria à Iesu de Agreda factam, gravissime deturpare Censor existimauit, idque animo remotendi Fideles à Fide, & lectura illius, adducuntur ab ipso. An autem eius argumenta, motiuuae potius, quam Doctrinæ Ven. Authoris obseruatae Santissimam Dei Matrem denigrent, ac deturpent, non nostrum est iudicare, quamquam difficile non esset, si nobis licentia concederetur ad oculos ostendere, satisque quisque ex dictis discernere poterit; an tandem tantorum famæ lassiones ex eiusdem Authoris Censura resultantes Christianæ modestiæ conueniant, alij iudicent, nos autem vnum scimus Catholicos Doctores, piosque Theologos pijssimæ menti Summorum Pontificum, inter quos præcipue Ven. Innocent. XI. Decreto in generali Congregatione supremæ vniuersalis Inquisitionis Romanae edito die 2. Martij 1679. inhærentes acriter inuehi contra huiuscmodi censurandi stylum. Ita (ommissis innumeris alijs) Magister Vincent. Ferrer Dominicanus Doctor Salmanticen. Tract. 2. quæst. 16. §. XI. num. 5. vbi contentiones exoriri solitas ex propositionum Censuris carpens ait: *Ed iudiciorum dissentio in animorum, voluntatumque dissensio- nem vertitur, & pluribus calumnijs, atque tumultibus inter Doctos Fideles cum Insipientium scandalo via paratur: sicut enim (prose- quitur) aliæ infamiae, & scandali genera à Pontificibus, & supremis morum Christianorum Rectoribus prohibentur, sic potest & hoc perni- ciosum, inuidumque censurandi, calumniandi genus à Pontificibus, vel Inquisitoribus prohiberi, siue cohiberi: his adiungimus Colle- gium Salmanticen. disput. 9. de Infidelitate Tract. 17. Dub. IV. num. 67., vbi de censurandis propositionibus hæc habet: non se- mel contingit, vt opinionem censurans, attingat etiam personam, eius famam aliqualiter infectando, aliaque congerendo, quæ magis liuor, quam recta ratio, & verus ardor docendi dictat, unde dissi- dia, tumultus, & scandala, non solum inter Personas, & etiam in- ter familias excitari solent, & hunc modum censurandi, siue expli- candi falsitatem contrariae opinionis penitus reprobamus.*

143 Hoc inquam scimus, sed non id adduxisse in Censuram Censuræ fatemur, sed vnicè vt historiam examini suppositam ab omni cen- sura Theologica, improptiore modo censurandi vindicemus, idque salua debita Religiosa modestia, quam in responsionibus seruasse conspicitur.

144 Io eum itaque finem veritatis, & Iustitiae detegendæ præsentem restrictum prò recto, iustoque Iudicio efformando ante oculos pijssimos, eorumque præcipue, quibus id commissum est, obijcere puta-

putauimus; quod si vni vel alteri obseruationi, siue difficultati denuo obiecta materiam, siue doctrinam concorrenti, responsio exhibita insufficiens adhuc videatur, rationem posituam insufficien-  
tiae nobis communicari humiliter exoramus. Parati (ut aie-  
bat Princeps Apostolorum Epist. 1. c. 3. v. 15.) semper ad satisfa-  
ctionem omni poscenti rationem de ea, quae in vobis est spes. Et ita

**Pro Seraphica Minor. Religione Idem, qui Positionem subscrispsit Postulator**

**Fr. Emanuel Fernandez del Rio  
Lector Iubilatus.**